MARCI TULLII
CICERONIS
Selectiorum Epistolarum
ad ductum Rhetoricæ Aristoteleæ resolutarum
DECAS PRIMA,

Autore

M. CHRISTIANO PAPENIO,
Scholæ Brunsvic. Cathar.
ConRectore.

BRUNSVIGÆ,

Typis & Sumptibus CHRISTOPHORI
FRIDERICI ZILLIGERI.
ANNO 1678.

MARCI TULLII CICERONIS

Selectiorum Epistolarum ad ductum Rhetoricæ Aristoteleæ resolutarum

DECAS PRIMA,

Autore

M. CHRISTIANO PAPENIO,
Scholæ Brunsvic. Cathar.
ConRectore.

BRUNSVIGÆ,

Typis & Sumptibus CHRISTOPHORI FRIDERICI ZILLIGERI.
ANNO 1678.

Johannes Caſelius volum. 2.
epiſtolarum ad Viros nobiles
epiſt. 62.

NEq; ſententiam, neq; dictionem absq; conſideratione legendam cenſeo, non ſolùm, ut mentem primi doctrinæ principum (cujusq; boni ſcriptoris) probè aſſequaris, ſed quocunq; loco, quum opus ſit, memineris, non ut verba referas, ſed tanquam è regio theſauro, quod, quantumq; opus ſit, depromas.

Humanissimo Lectori S. D. *M. Christianus Papenius.*

M. Tullii Ciceronis orationes ac selectiores ejusdem epistolas ad Rhetorica sua principia quisquis reducere volet, is, ut rectè illud atq; ordine faciat, certum sibi ante omnia ἀναλύσεως suæ finem statuat, animoque suo diligenter circumspiciat, ad quodnam *causæ genus* vel epistola vel oratio suis partibus interpungenda pertineat. Ut enim *persuasio* orationum quarumcunque, ita epistolarum etiam finis est indubitatus; ac proinde quæ illarum, eadem quoq; harum erit & compositio & resolutio: ita tamen, ut longè in oratione accuratior, quàm in epistola, ordinis sit & collocationis observatio. Nos de epistolarum duntaxat jam nunc acturi ἀναλύσει, persvasissimi sumus, nullum epistolæ ῥητορικωτέρας quidem genus dari posse, quod ad triplicem illam ab Aristotele in Rhetoricis monstratam causarum classem nequeat referri. Justum Lipsium equidem

dem & Paulum Manutium, non ignoramus, aliâ hic incedere viâ; & illum quidem omnes epistolas ad *serias, doctas & familiares*, hunc verò ad duo eas revocare capita, alterum *moralium*, alterum *negotialium* epistolarum: at horum dissensum tamen si quis est causæ nostræ nihil officere, & ad usitatam Rhetoribus causarum generum distinctionem quasvis optimè reduci posse epistolas, fugere eum vix poterit, qui tum quæ Aristoteles, Cicero, Fabius, cæteriq; de cujusq; ὑποθέσεων generis, materia, partibus, tempore ac fine sapienter admonuerint, tum quemadmodum sapientissimi quiq; magnorũ Rhetorum vestigia prementes scriptiones suas ad illorum præceptiones adornarint, probè expenderit. Et verò per est utilis & necessaria illa causæ consideratio non solùm ad patefaciendam recteq; tractandam totam rei materiam, sed & ad ipsum epistolæ finem eò rectiùs perspiciendum. Fine enim cujuscunque πραγματείας probè animadverso, non potest non cuilibet uno quasi obtutu constare protinus certò inde exspectanda utilitas. Sed & ipsorummet locorum indagatio ex causarum isthac distinctione facilior, quàm ex earum erit confusione. Valet scilicet huc quoque illud Columellæ, de re rustica quod censet: *Prudentem*, inquiens, *delectant impensius ea, quæ propriis generibus distingvuntur, quàm quæ pas-*

passim velut abjecta & quodam acervo confusa sunt. Causæ igitur genere, in quo quasi stabulatur epistola, diligenter penitusq́; cognito, intuendum est jam ampliùs, quomodo illa, quæ in epistola continentur, omnia coarctari, & unâ quodammodo propositione, seu conclusione demonstranda comprehendi, atque ita certus epistolæ *status* seu γενικώτατον γένος constitui queat. Id enim qui ignorat, neutiquam poterit de τοῖς ὑπάρχουσι, de *iis quæ insunt*, hoc est, de conclusionis demonstrandæ, & quidem cum subjecti tum prædicati genere, definitione, partibus, caussis, effectibus, conjugatis, adjunctis, subjectis, antecedentibus, consequentibus, & ut verbo dicam, de argumentorum fini obtinendo facientium pondere, eorumq́; delectu atq́; inter se discrimine rectum facere judicium. Sive enim horteris, sive dehorteris, sive commendes aliquem, sive soleris, sive quid aliud, quod deliberationis sit, agas, ad *suasionem* utiq́; & *dissuasionem* semper intentum animum habeas oportet. Ut proinde deliberativi generis epistolæ, cujus tandem cunq́; sint argumenti, hujusmodi sint enthymematibus probandæ conclusiones: *Ergò hoc fac, E. hoc omitte, E. hunc commendatum recipe, E. in hac re mihi gratificare*, &c. In respondentibus istiusmodi: *Ergò hoc faciam, E. hoc omittam, E. hunc commen-*

datum recipiam, E. tibi gratificabor, &c. Juridiciale genus cùm in controversia positum complectatur *accusationem* & *defensionem*, huic classi subjectas epistolas, sive objurgent aliquem, sive cum aliquo expostulent, sive diluant objectum ab alio crimen, semper aut *accusare* aut *defendere* animadvertemus, & concludere in hunc fere modum: *Ergò fecisti, E. non feci, E. meritò es objurgandus, E. meritò sum excusandus*, &c. Ad demonstrativum verò genus cùm præter laudationes & reprehensiones, negotiales etiam pertineant epistolæ, harum equidem, non diffiteor, videri aliam, quàm deliberativarum ac juredicialium rationem: habent enim hæ multiplicem sæpenumerò ac confusaneam multarum rerum, quas scire amicos volumus, materiem, propter quam uno aliquo certoq; statu circumscribi non possunt, atque adeò egressus illis liberiorque cursus meritò erit permittendus. Quanquam in illis ipsis narrationibus, earumque partibus, virtutibus, totoq; earundem corpore nunc moratis, nunc patheticis sermonibus dissecto non desint, ad quæ animum attendere meritò debeat humanitatis studiosus: quomodo id in resolvendis talibus epistolis periculum facienti cuiq; liquidò patebit. De statu seu generali epistolæ conclusione ubi constiterit, proxima jam in eo versabitur cura,

ut

ut in argumentorum ad probandam propositionem allatorum pondus ac discrimen diligenter inquiratur. Atq; nescio, an non lacertis suis fidens confirmatio πςῶεγ quasi ϗ πςύμνη totius sit epistolæ: *per hanc enim*, ceu apposite Tullius ait, *argumentando nostræ causæ fidem & autoritatem & firmamentum adjungit oratio.* Cùm enim nudæ adsertiones rationibus cassæ minus valeant nihilo, tantò equidem plus habere roboris epistola censenda erit, quantò validioribus est enthymematibus confirmata. Apertè id cuiq; indicant Dispositiones tàm oratoriæ quàm epistolicæ, ab Excell^me. Schradero dudum evulgatæ. Nam hac ex parte perinde τ̃ ἐπιςολογράφυ ut oratoris munus est, θεωρῆσαι videlicet τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν, seu, ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον, 1. Rhet. 2. §. 1. & cap. 1. §. 42. Hoc autem πιθανὸν ut rectè cognoscatur, vestigandi sunt *loci* tàm Rhetoricæ cum Dialectica communes, quàm Rhetoricæ peculiares. Omnes sunt fontis instar abundantissimi, unde perpetuo fluxu argumenta ceu rivuli quidam deducuntur. Universos nosse locos, apprimè erit artificii hujus studioso utile planeq; necessarium; hoc etenim modo, qui usurpati à Cicerone, qui præteriti ab eodem fuerint, quoq; ex fonte hoc illudve argumentum deductum sit, statim poterit & citra solicitum laborem dijudicare. Loci verò

Rhetoricæ proprii cùm triplices ſint, alii quippe argumentorum docentium, alii conciliantium, alii permoventium, quæ Græci λόγους, ἤθη καὶ πάθη vocant, horum omnium natura & differentia intelligenda eſt penitus, ut, cujus quidq; cenſus ſit, in reſolutione ſua rectè dignoſcere queat ἐρμηνευτικὸς epiſtolarum ἀναλύων. Et in Ciceronis quidem volumine alias merè ἠθικὰς, hujus duntaxat exempli gratiâ concluſionis: *ego amo te*, alias παθητικὰς, huic illive affectui ciendo accommodatas, alias triplici argumentorum genere confertas inveniet epiſtolas, quarum quidem ſingulæ ſuas ſibi & diverſas inter ſe depoſcent reſolutiones. Atq; hæc inventionis epiſtolarum veluti ſumma fuerint capita, quæ ubi diligenter iſthac ratione diſcuſſeris, non poterit non indidem liquere *diſpoſitio*. In hac duarum inprimis orationis partium ſimpliciter neceſſariarum, propoſitionis quippe & fidei videbis eſſe habitam rationem, quibus præmiſſa ſunt plerumque exordia ἠθικὰ, annexi verò epilogi vel ethici vel pathetici. At præceptis hic minimè nos alligantes meritò ſententiam ſequimur Juſti Lipſii, Inſtit. epiſt. cap. 6. *Ut imperatori*, inquit ille, *in acie certus aliquis ordo eſt, nec tamen unus: ſic tibi in omni materie; quam pro re, pro judicio diſpone.* De *elocutione*, ſupererit, ut paucis moneamus. Hanc ita commodiſſimè

exa-

examinaverimus, si illius Fabiani memores procem. in libr. 8. Orator. Institut. cogitemus: *Verborum curam, rerum autem solicitudinem esse oportere.* Judicium nimirum & modum vult Rhetor adesse in eloquendo. Quid enim juverit, omissâ rerum diligentia inani quodam studio nudas circa voces consenescere? Omnis illa, quæ in dicendo apparet, gratia, omnis decor suâ sponte sequi debet, non autem conatu superstitioso affectari. Præclarè iterùm citato procemio Fabius: *Cultus concessus,* inquit, *atq; magnificus addit hominibus autoritatem: at muliebris & luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida & versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur.* Unde M. Seneca procem. in libr. 5. controv. laudat oratorem, *qui partem eloquentiæ putabat, eloquentiam abscondere.* At verò cùm nemo quisquam ex ornatissimis etiam scriptis delectationem aliquam sit percepturus, qui elocutionis naturam, partes & virtutes non rectè intelligit, recolenda hîc sunt omnia illa præcepta, quæ Rhetores de λέξει, hoc est, elegantia, dignitate & compositione magno adferunt apparatu. Et elegantia quidem orationem reddit puram & perspicuam: pura est, quæ cum canonibus Grammaticis bonorumque scriptorum consvetudine congruit: perspicua,

 quæ

quæ verbis contexitur propriis & usitatis, non exclusis tamen modificatis, sed in loco & pro judicio adhibitis. In utrisq; Cicerone excellentiorem invenimus neminem. Perspicuam autem oportere elocutionem esse, Aristoteles demonstrat à proprio illius munere, quod est, declarare latentes in animo conceptus, ut docetur sub initium libri περὶ ἑρμηνείας. Dignitas suppeditat picturas orationis, hoc est, verborum sententiarumq; ornamenta, quæ Rhetores tropos & schemata vocant. Tropi in singulis ferè vocibus, figuræ in vocum compositione magnam partem spectantur. Oratio tropis figurisq; modicè vestita, evadit urbana, maximè verò ea, quæ vel μεταφορὰν (quo nomine Aristoteles omnem comprehendit tropum) vel λέξιν ἀντικειμένην, *oppositionem*, vel *actum* sive *subjectionem* habet *sub oculos*; quam Græci exprimunt per τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν. In omni elocutione servandum est magnopere τὸ πρέπον, *dictionis decorum*. Id autem servabit oratio, *quæ motus animi miscebit, & quæ mores exprimet, & quæ subjectis rebus conveniet. Erit autem rebus conveniens, si neq; de rebus amplissimis tenuiter & summissè; neq; de tenuibus rebus graviter & amplè quis dixerit*, ceu præclarè docet Arist. 3. Rh. c. 7. §. 1. 2. Cuncta illa temperare debet doctrina de charactere, qui nihil est aliud, quàm rebus ac personis, harum-

que

que moribus & affectibus apta elocutionis forma. Forma autem isthæc cùm tota sit compositione mixta, deprehendemus in lectione bonorum autorum, unumquemq; characterem sua habere incisa & membra, suas item periodos seu comprehensiones. Ciceroni equidem uti rerum inventione ac dispositione, ita delectu verborum & numerorum svavitate par nemo Latinorum poni potest: adeò in eo scriptore omnia elaborata, adeò omnia perfecta esse existimes, ut nostrâ vel additione, vel detractione, vel conversione nihil in eo melius quidquam fieri possit; tametsi alio in libris Philosophicis, alio in orationibus, alio in his, alio in illis utatur epistolis dicendi genere. Exempli gratia in ep. 12. lib. 5. hisce verbis: *ardeo cupiditate incredibili, neq́, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis:* animadvertenda est, monente Manutio, numeri svavitas ex jambo post spondéum sententiam claudente, ut paulò pòst, *commendari tuis.* At si in hujusmodi & similibus aliis, hunc quis turbare velit ordinem, quocunq; id modo tentet, apparebit sanè, multum ejus, quam antè verba ista habebant, gratiæ, esse periturum. Unde rectè Christianus Becmanus Manuduct. ad lingvam Lat. cap. 13. *Structura sermonis sive ordo*, inquit, *planè divina res est, omnis-*

omnisq; munditiæ, elegantiæ & suavitatis initium. Tantò magis enitendum nobis, ut ubiq; illum observemus, quantò languidiùs curant alii. Et post pauca. *Autores ita sectemur, ut sedem, quâ singulas illi dictiones, etiam quandoq; minutissimas locarint, curiosè perlustremus: ita ordiamur, ut illi: ita continuemus quasi fluxum sermonis, ita finiamus.* Cujus in sententia nunc & ego conquiesco: & quemadmodum à te, quisquis es, humanissime lector, humana mihi polliceor atq; benigna omnia, ita DEum veneror supplex, ut destinatus hic usibus adolescentiæ libellus fructum eidem adferat non omninò nullum. Quod unum, at mihi certè maximum, si ex parte duntaxat aliqua fuero consecutus, aliosq; intelligentes hanc opellam non omnino improbare intellexero, non equidem defugiam, anno proximo, si DEus vitam & valetudinem concesserit, hujusmodi epistolarum Tullii decadem secundam, & tertiam, ut &, quæ passim hodie adolescentum manibus teruntur, Isocratis orationes tres, ad Demonicum, ad Nicoclem, & eam, quæ sub ipsius Nicoclis persona habita est, pari nobis commentationis genere pertextas cum juventute scholastica communicare. Salve & vale. Brunsvigæ, prid. Kalend. Decembr. Anno M. DC. LXXVII.

M.T.

M. T. Cicero S. D. Curioni.
(lib. 2. epist. 6. vulgat. edit.)

NOndum erat auditum, te ad Italiam adventare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi: sed tamen, cum appropinquare tuus adventus putaretur, & te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret; magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis cito mitteremus, cum has ad te quamprimum perferri litteras magnopere vellemus. Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quam à me ponderari solent; verecundius à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. GRAVE *est enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur: sed, quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa novitate meorum temporum clarissima, & maxima exstiterunt;* ESTQUE *animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitavi id ad te per litteras petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium: neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem; cum præsertim considerem; nullam esse gratiam tantam, quam non vel capere*

capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando, cumulandoque illustrare possit. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi, & locavi: statuique, in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quærere. Neque vero cuiquam salutem, ac fortunas suas tanta curæ fuisse umquam puto, quanta mihi sit honos ejus: in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adjumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia; bonorum studium, conciliatum ex tribunatu, propter nostram, ut spero te intelligere, caussam; vulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ; juventutis, & gratiosorum in suffragiis, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam; nostram suffragationem si minus potentem, at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam: dux nobis, & auctor opus est, & eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator: qui si ex omnibus unus optandus esset; quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes; si dignum denique tuis beneficiis judicas: hoc à te peto, ut subvenias huic meæ sollicitudini, ut huic meæ laudi, vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium

dium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, constantiæ, benevolentiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem: mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adjunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego, ni te videre scirem, cum hæc ad te scriberem, quantum officii sustinerem, quantopere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum; plura scriberem: nunc tibi omnem rem, atque causam, meque totum commendo, atque trado. unum hoc sic habeto: si à te hanc rem impetraro, me pane plus tibi, quam ipsi Miloni, debiturum: non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua præcipue sum ab illo adjutus; quam pietas erit in referenda gratia jucunda: eam autem unius tui studio me assequi posse confido. Vale.

Analysis Rhetorica.

De Inventione & Dispositione.

Est hæc deliberativi generis epistola petitoria. Petit enim Cicero à Curione, ut studio & suffragatione sua Milonem in ambitu consulatus adjuvare velit.

Status ergo seu *conclusio principalis* epistolæ est: *Mi Curio, juva suffragio tuo Milonem in petitione consulatus.* Quod quidem uti ei persvadeat,

ſvadeat,utitur in argumentis πιθανοῖς concluſionem iſthanc probantibus,hoc eſt, in λόγοις, ἤθεσι, καὶ πάθεσι, multo artificio & ſummâ accuratione; quomodo illud ex ſingulis epiſtolæ partibus curatè penſitatis unicuiq; patebit.

Exordium à perſona commendantis deſumptum totum eſt ἠθικὸν, *benevolentiam* quippe & *prudentiam* ſcribentis ſpirans; *benevolentiam* quidem, dum ſe Curioni purgat,cur adeò celeriter has ad eum perferri voluerit literas, nec planè adventum ejus exſpectare; facere ſcilicet ſeſe illud rei magnitudine ductum: *benevolentiam* iterùm, dum ſua in Curionem merita extenuat, Curionis autem in ſe extollit: *prudentiam* verò,dum inſignes ſententias adfert; *Grave* nimirum *eſſe homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet; ne id,quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potiùs, quàm beneficii loco numerare videatur.* Item; *animi eſſe ingenui, cui multùm debeas, eidem plurimum velle debere.* Ut adeò βάσις ſeu fundamentum exordii conſiſtat in his duabus propoſitionibus:

(1) *Magnitudo rei facit, ut tàm citò ad te literas mittam;*

(2) *Quia plurimum tibi debere volo, ideò hoc à te peto beneficium.*

Hæ

Hæ duæ propoſitiones quemadmodum ſint à Cicerone in hunc, quo conſpiciuntur, ordinem magnitudinemq; dilatatæ, quomodo membra earundem inter ſe ſingula ſint aptata & connexa, ſeduli eſt imitatoris animadvertere.

Narratione breviter & dilucidè adfert conſilium ſuum & cauſam, cur tam enixè cupiat Milonem juvare; quia videlicet non officii ſolùm in eo fructum, ſed etiam pietatis laudem teneatur quærere. Et ſanè habet ad iſtum modum conformata narratio inter ceteras dotes efficaciam etiam perſvadendi haud minimam. Ariſtoteles lib. 3. Rhet. cap. 16. §. 16. vocat τὸ προαίρεσιν δηλοῦν, *mentem*, h. e. *quo conſilio, quo animi propoſito aliquid ſit factum* (vel fiat) *declarare.*

Exin ſequitur *Propoſitio*; *Juva igitur Milonem:* tali periodo incluſa: *Huic te unum tanto adjumento eſſe, ſi volueris, poſſe intelligo, ut nihil ſit præterea nobis requirendum.*

Hoc verborum nexu colligata propoſitio indicat ſimul in voce *poſſe*

Confirmationem, & quidem validiſſimum ejus argumentum, è loco communi τοῦ δυνατοῦ, *posſibilis* deſumptum, vid. Ariſt. l. 2. Rhet. c. 19.

Potes juvare Milonem,

E. juva eum.

Sub poſſibili autem continetur etiam facile

cile. Posse autem facilè aliquid fieri, probari solet ab occasione & circumstantiis. Simili modo & Cicero enthymematis sui antecedens, (quod nimirum Curio possit Milonem juvare) his rationibus demonstrat:

1. *Habes bonorum studium conciliatum ex tribunatu propter nostram causam.* E. potes eum juvare, & facilè quidem.
2. *Habes studium vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum liberalitatemq́ naturæ tuæ.* E. facilè eum juvare potes.
3. *Habes juventutis & gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam.* E.
4. *Habes nostram suffragationem si minus potentem, approbatam tamen, & justam & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam.* E.

(Observandum hic est, ultimam rationem *morato etiam sermone, modestiam* Tullii spirante esse intertextam, dum suam suffragationem sic satis validam *minus* tamen *potentem* vocat.)

Hisce subnectit aliud ἦθος, *benevolentiam* quippe Curionis captans, cum citra adulationem eum laudat, palàm fatendo, non habere se quemquam ex eorum, quos proposuisset, ventorum, h. e. hominum ex plebe bonorum mode-

moderatoribus, quem cum Curione rerum conficiendarum peritiâ conferre possit.

Tandem repetit principalem epistolæ conclusionem: E. *subvenias huic meæ solicitudini, & juves Milonem*; & id quidem ejusmodi verborum ambitu, qui *gratum* erga Curionem animum declaret; quod itidem *morata* est *orationis* proprium.

Deniq; & τὸ παθητικὸν adhibet quando & Milonis & suam adversus Curionem debitam *gratiam* tam hîc, quàm sub finem epistolæ disserte testatur.

Quæ excusationis loco de literarum brevitate & negotii magnitudine inseruntur, rursus sunt ἠθικὰ, & inserviunt captandæ *benevolentia*.

Repetit iterum epistolæ conclusionem verbis licet non iisdem, nam hoc frigidum fuisset nimis, tamen quodammodo ἰσοδυνάμοις: *Nunc tibi omnem rem atq; causam, meq; totum commendo atq; trado.*

Claudit epistolam tum sui tum Milonis erga Curionem *grati* animi testificatione.

De Elocutione.

Animadversâ epistolæ inventione & dispositione, expendenda jam est ejusdem etiam elocutio, in elegantia, dignitate & compositione consistens. *Pura* igitur, hoc est, Latina, & maximam partem *perspicua* est hæc epi-

 stola,

ſtola, propriis quippe verbis, ut pote orationem evidentem reddentibus, ut docetur 3. Rhet. c. 2. §. 3. contexta, tropis tamen parcius, ſchematibus largiùs interſertis.

Ad compoſitionem quod attinet, conſtat eadem *periodis* diſparibus, ita tamen ut nonnunquam varietatis gratiâ oratio εἰρομένη & ſimplex flexuoſis iſtis ſit interpoſita. Habet item *juncturam*, quemadmodum id cuivis aurium judicio metienti liquebit. Gaudet etiam *ordine*, fortiora enim videmus firmioribus eſſe ſubjuncta, plerarumq; periodorum ſenſum verbo clauſum eſſe, inter ſubſtantiva & adjectiva interdum aliquid eſſe interjectum, particulam negantem in illo: *habiturum eſſe neminem*; ſcitè extremo loco eſſe poſitam &c. Conſpicua eſt etiam *numeri* ſvavitate, non affectatâ quidem, ut quæ effœminatam reddat & enervet orationem, ſed moderatâ & quaſi naturali, quæ reverà vim atq; impetum addit orationi.

Age, commonſtremus jam φερόσιν epiſtolæ luculentiùs in ſingulis periodis:

Nondum erat — *magnoperè vellemus.* Oratio τετρακωλίαν excedens, ambitu tamen comprehenſa περιοδικὸν dicitur. Ornatum habet à ſchematibus περιλήψεως ὁμοιοπτώτου & ὁμοιοτελεύτου, & deſinit in trochæo.

Ego, ſi mea — *contenderem.* Eſt periodus

dus τετράκωλος ἰσόκωλος, περίοδον habens duorum pene parium, ἀπόδοσιν verò unius membri, sed propter ἐπιμβολὴν funis instar extenti; medium etiam membrum est διακεκομμένον s. intercisum particulis *magis*, *quàm*. Ornatur metaphora in verbo *ponderari*, & ὁμοιοπτωτος in *prædicari*, *ponderari*. Habet & *inversionem*: *quia non sum de te bene meritus, ideò tantam rem abs te peto*. Hæc autem quid sit, docet Dialectica. Clauditur jambo, præcedente spondeo.

Grave est — *numerare videatur*. Periodus πλεόνακωλος, cujus tria προτάσεως membra ferme sunt paria, ἀπόδοσις autem crebris incisionibus & hyperbatis ad triginta novem syllabas protracta. Habet λέξιν αὐξανομένην in verbis *exigere*, *rogare*, *mercedis*, *beneficii*, quam dictionem Aristoteles lib 3. Rhet. c. 9. §. 30. à jucunditate commendat. Sunt item ὁμοιόπτωτα iisdem in verbis, quæ maximè in sententiis quibus hæc quoq; accensenda, commendantur. Voss. lib. 4. Part. Orat. c. 13. §. 10. Terminata est hæc periodus pæane tertio, & in una quidem voce, *videatur*, ut robustior sit oratio, cùm si, idem numerus pluribus contineatur vocabulis, dictio inde mollior evadat.

Sed quia tua — *necessarium*. Non esse hanc λέξιν εἰρομένην sed κατεστραμμένην, innuunt conjunctiones disjunctivæ, *vel*, *vel*, innuunt pronomina relativa & demonstrativa, *cui*,

eidem, id, quod, innuunt membra à circuitu minimè relecta, sed χέσει seu habitudine quadam ad suum totum relata, adeoq; κρεμάμθμα sive pendula. Hoc autem totum cùm plurium, quàm quatuor sit membrorum ambitu circumvolutorum περιοδικὸν dicitur. Exornatum est γνώμη, πολυπλώτοις, παρηγμθμίῳ, & clausum pede amphimacro.

Neq; enim — illustrare possit. Est & hoc περιοδικὸν, quomodo id ex membrorum numero, eorumq; volubilitate & ad se invicem respectu satis liquet. Ultimum etiam membrum est χοινοτενὲς & circumductum. Ornatur metaph. λέξει συγκειμθμῇ ὁμοιοπτώτῳ & ὁμοιοτελεύτῳ, clauditurq; ditrochæo.

Ego omnia — quærere. Sunt duæ periodi μονόκωλοι, prior quidem crebris incisionibus interpuncta & in longitudinem protracta. Hujus flexum indicat particulæ *omnem* repetitio per figuram scilicet illam ἀνώνυμον, quâ media aut principio aut clausulæ respondent. Posterior itidem sinuosior est. Illustrantur metaph. synonymiâ, & ὁμοιοπτώτῳ, clauduntur ditrochæo & dactylo.

Neq; verò — decrevi, Periodus τρίκωλ☉ ἄνισ☉, clausa molosso.

Huic te unum — requirendum. Periodus δίκωλ☉ βραχύκωλ☉ clausa antispasto.

Habemus hac omnia — gratiosam. Est

πνεῦμα per μειέσμὸν prolatum, dum *isthæc omnia* in *bonorum, vulgi, juventutis, gratiosorum, suum* deniq; *ipsiusmet studium & suffragationem* distribuit, annexis rationibus, quomodo singula ista prodesse Curioni ad juvandum Milonem queant. Figuratur anaphorâ ὁμοιοτελεύτῳ & πολυσυνδέτῳ, quod schema facit, ut res, de qua agitur, major videatur. Clauditur ditrochæo, si ultimam nimirum, ut in versu, ita hic etiam communem statuas.

Dux nobis — gubernator. Post periodicam utitur ἀιεσμένη h. e. tractâ elocutione, ornatâ metaphorâ &; παρηχήσει, terminata molosso.

Qui si — non haberemus. Periodus δίκωλος ἰσόκωλος, ornata ὁμοιοτελεύτῳ clausa spondeo, antecedente cretico.

Quamobrem si — studium dices. Περιοδικὸν hoc est πεντάκωλον, illustratum anaphora, ὁμοιοτελεύτῳ & ἐπανορθώσει, terminatum dijambo.

De ipso T. Annio — neminem. Est periodus δίκωλος, cujus ἀπόδοσις propter crebras incisiones & ἐπεμβολὴν illam: *si complecti hominem volueris*; funis instar est extensa. Ornatum habet à metaphora, ἀσυνδέτῳ & συναθροισμῷ, & desinit in amphimacro.

Mihi verò — in salute. Periodus τρίκωλος ἰσοσκελὴς, habens anaphoram, metaph. & desinens in ditrochæo.

Ego ut — *scriberem.* Περιοδικὸν, metaphoris & elegantibus ὁμοιοτελεύτοις exornatum, terminatum amphimacro.

Nunc tibi — *atq; trado.* κῶλον oblongum extra periodum, *ordinem* habens in verbis, *rem* atq; *caussam commendo* atq; *trado*, desinens in ditrochæo.

Unum hoc — *debiturum.* Periodus τρίκωλος ἄνισος clausa ditrochæo.

Non enim — *jucunda.* Periodus itidem τρίκωλος ἰσόκωλος, terminata antibacchio.

Eam autem — *confido.* Periodus μονόκωλος: ambitum facit verborum trajectio; fuisset membrum verbis ita ordinatis: *Eam unius tui studio adsequar.*

Sulpicius S. D. Ciceroni.

(lib. 4. epist. 5. vulgat. edit.)

Posteaquam mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ; sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi: qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est; propterea, quia, per quos id fieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrumis multis id conari queunt; ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis

posse

posse suum officium praestare: tamen, quae in praesentia mihi in mentem venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non quod ea te fugere existimem; sed, quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias. Quid est quod tantopere te commoveat tuus dolor intestinus? cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit; ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, *quid ad dolorem adjungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atque omnia minoris aestimare? An illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare. Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? ut, cum aliquo adolescente primario conjuncta aetatem ageret? licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cum florentes videret, laetaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim petituri essent in repub. in amicorum negotiis liberalitate sua uterentur? quid horum fuit, quod non prius, quam datum, ademptum sit? At vero malum est liberos amittere: malum, nisi hoc pejus sit, haec sufferre, & perpeti. Quae*

res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare; si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus: quæ opida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet; cum uno loco tot opidum cadavera projecta iaceant. Visne tu te, Servi, cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta deminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si jactura facta sit, tantopere commoveris? quæ si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca: atque ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam, quam diu ei opus fuerat, vixisse: una cum rep. fuisse: te, patrem suum, prætorem, consulem, augurem vidisse: adolescentibus primariis nuptam fuisse: omnibus bonis prope perfunctam esse: cum resp. occideret, vita excessisse. Quid est, quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis?

Deni-

Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueveris præcipere, & dare consilium; neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ: da ceteris amicis, & familiaribus, qui tuo dolore mærent: da patriæ; ut, si qua in re opus sit, opera & consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit; noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reipub. tempora, & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere: quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci. Fac aliquando intelligamus adversam quoque te æque ferre posse; neque id majus, quam debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliore esse animo cognovero, de his rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

Ana-

Analyſis Rhetorica
De Inventione,

EJusdem hæc eſt generis epiſtola, cujus antecedens, deliberativi ſcilicet conſolatoria; conſolatur autem Servius M. Tullium Ciceronem, Tulliæ filiæ obitum ægerrimè ferentem.

Statu ergo ſeu concluſio principalis hujus epiſtolæ eſt: *Noli, mi Cicero, nimiùm dolere mortem filiæ tuæ.*

Et quando, Vallâ judice, tam robore argumentorum, quam dictionis ſvavitate Ciceronianis epiſtolis adeò ſimilis eſt hæc Serviana, ut dempto nomine vix ab iis internoſci queat, advertenda ſunt diligenter omnia illa ac ſingula, quæ probandæ iſti concluſioni accommoda à Servio hic adferuntur. Ea autem ſunt argumenta *Logica, Ethica & Pathetica.*

Primum eſt παθητικόν, oſtenſum ab Ariſtotele 2. Rhet. c. 5. §. 41. θαῤῥαλέοι εἰσὶν ἐὰν πολλάκις ἐληλυθότες ὦσιν, εἰς τὰ δεινὰ, καὶ διαπεφευγότες. *Confidentes ſunt, ſi ſæpe in periculum adducti, incolumes evaſerint.*

Majora mala ſæpe jam olim pertuliſti:
E. & hunc domeſticum caſum æquo ferre animo debes.

Hoc argumentum Servius proſequitur à

ver-

verbis: *Quid est, quod tantopere &c.* usq; ad: *minoris æstimare.*

Secundum est λογικὸν, è loco communissimo 2. Rhet. c. 23. §. 20. Ἐκ τοῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν, *Tempus intueri.*

Temporis hodierni tanta est calamitas, ut nulla res, nulla spes, nullum animi solatium filiam tuam ad vivendum invitare possit.

E. æquo animo ejus obitum feras.

Dilatatum hoc argumentum est (1.) πρόληψει. *Si in vivis mansisset filia, potuisses, fateor, tibi pro dignitate tua generum deligere, cujus fidei liberos tuos tutò commisisses: potuisset filia liberos ex se parere, quos cùm florentes videret, lætaretur &c.* Sed respondet Servius: *omnia isthæc prius adempta esse, quàm data.* (2.) ἀνθυπαγωγῇ, cum difficile aliquid & contrarium fateri cogitur Servius, sed contra injicit non minus firmum: *Malum est liberos amittere: sed longè pejus, mala publica ferre & perpeti.*

Tertium argumentum est ab exemplis, florentissimorum sc. in Græcia opidorum excisione, multorum millium hominum internecione, imperii deminutione, provinciarumq; conquassatione. *Quæ mala omnia præsentibus multò atrociora cùm moderatè à prudentibus ferantur, filiæ quoq; Tulliæ obitus patri Tullio fortiter ferendus erit.* Hujusmodi sanè exempla uti rectè post nonnulla sunt enthymemata

mata locata (Arist. l. 2. Rhet. c. 20 §. 24.) ita enthymematibus aculeum addunt, nec potuerunt non illud, quod explicatum jam erat, Ciceronis animo altiùs infigere.

Atq; hæc à Servio ita proferuntur, ut horum exemplorum, per longam elegantemq;, διαλύπωσιν & sermocinationem deductæ amplificationi novum invenias insertum esse medium terminum, at non elaboratum; videlicet: *quod homo nata fuerit Tullia, à qua humani nihil alienum esse possit, & cui communi necessitatis lege tandem moriendum fuisset.*

Quartum est è loco proprio, 1. Rhet. c. 7. §. 48. ὧ ὀλίγοι μετέχουσι. *Cujus pauci sunt participes.*

Vixit filia tua, quamdiu ei opus fuit; fuit unà cum Rep. vidit te patrem suum prætorem, consulem, augurem: nupta fuit adolescentibus primariis; & iis quidem omnibus patritii generis: omnibus bonis prope perfuncta est, eo tempore, quo Resp. occidit, excessit è vita.

E. noli hoc nomine fortunam accusare, sed fer, ut decet, filiæ obitum patienter.

Quintùm è loco communissimo 2. Rhet. c. 23. §. 24. Ἐκ τῶν εἰρημένων καθ᾽ αὐτοὺς πρὸς τὸν εἰπόντα. *Ex iis, quæ in nos dicta sunt, adversus eum ipsum, qui dixit, argumentari.*

Tute aliis consilium dare soles, iisq; præcipere, ne in adversis deficiant animo: tute

aliis

aliis subjicere soles: Omnem dolorem longinquitate temporis tandem minui. E. hac tibi omnia ipse jam propone, & desine filiæ mortem ferre immoderatiùs.

Sextum est παθητικὸν brevissimis expressum, pudori tamen movendo aptissimum:

Turpe tibi erit, huic luctui sapientiâ tuâ non in tempore occurrere. E.

Id enim imbecillitatis est, adeoq; secundum Aristotelem ἀπὸ κακίας ἔργον, *à vitio profectum* 2. Rhet. c. 6. §. 5. Cavendum verò hic est, ne, quod inter pares duntaxat habet locum, illud contra πρέπον ad dignitate multum dispares extendatur.

Septimum est è 1. Rhet. c. 6. §. 3. οὗ ἐφίεται πάντα, ἢ πάντα τὰ αἴσθησιν ἔχοντα, ἢ νοῦν, ἢ εἰ λάβοι νοῦν. *Quod appetunt omnia, aut ea in quibus inest sensus, aut mens, aut si mentem accipiant.*

Filia tua, si quis ei post mortem sensus est, (dubitat in eo, quod Cicero & cum eo alii Platonem secuti probaverant) *pro suo in te amore & pietate non vult, ut tantopere suam mortem lugeas.*

E. da hoc illi mortuæ, & luctum mitte.

Octavum & ultimum argumentum est è loco communissimo, 2. Rhet. c. 23 §. 51. ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος. *Ex eo quod consequitur,*

Ni finem lugendi feceris, sequetur, ut non filiæ, sed Reip. tempora, ac aliorum (Cæsaris cum-

pri-

primis qui Pompeji liberos in Hispania devicerat) *victoriam deplorare videaris, ac propterea multos eosq́; potentes graviter offendas*, E.

Isthoc, quo recensuimus, ordine collocata hæc enthymemata, singula ferè ἠθικῶς sunt sermone intertexta.

Benevolentiam quidem & suam erga Ciceronem indicat, & Ciceronis sibi conciliat, cum in exordio statim epistolæ suum quoq́; ex obitu Tulliæ acceptum animi dolorem seriò restatur, cum item accuratè cavet, ne sibi prudentiæ laudem tribuere, Ciceroni adimere videatur,

Prudentiam ostendit enthymemate primo, dum *animum in adversis exercitatum callere*, h. e. callo quasi ex consuetudine, facto, obduruisse, *jam debere*, ait, *& omnia minoris æstimare*. Γνῶμαι enim reddunt orationem moratam.

Ex secundo enthymemate elucet *modestia* Servii plus Ciceroni, quàm sibi tribuentis. In verbo enim *veneris* ratio, in *incideris* casus est. *Prudentia* verò, dum *bona fortunæ prius, quàm data, adempta esse dicit*.

Exemplis *prudenter* inserit, *homines nos esse natos*, à quibus humani alienum esse nihil possit.

In quarto Ciceronem laudat, citra tamen adulationom, quod *benevolentia* est.

In

In quinto facit idem, admixta tamen quâdam inter familiares non inusitata reprehensione; cui *prudenter* subjungit: *dolorem omnem longinquitate temporis posse minui atq́; molliri.* Tandem & *benevolentiæ* character est, quando in fine solicitus cavet, ne videatur prudentiæ Ciceronis diffidere; cum item dilaudat animi ejus altitudinem, adjectâ hortatione, ut, quem hactenus in secundis rebus habuerit animum, eundem in adversis quoq; retineat.

De Dispositione.

DIspositionem si spectes, quanquam de ea non magnopere solicitum esse quemquam debere censet J. Lipsius, ut, *qui neglectum aut nullum in epistola ordinem* putat *optimum*; magnusq; magister Tullius ipse rectè monet; lib. 2. ad Quint. fratrem, ep. 10. *epistolas debere interdum hallucinari*; tamen in *seriis* non negant iidem, de ordine paulò magis esse satagendum, sed ita, ut semper infra oratoriam illam diligentiam quis consistat, & imitetur eam, non æquet.

Idem in hac Serviana quoq; animadvertere jam licet. Videmus enim omnem ibi materiem ita dispositam, ut præmittatur

Exordium continens tum brevem significationem doloris ex obitu Tulliæ per-

ceptis tum rationem officii, quare nimirum Ciceronem ſoletur, quod exiſtimet, eum dolore impeditum omnia minus poſſe perſpicere.

Hinc ſequitur *Propoſitio: Noli, mi Cicero, nimis dolere domeſticum tuum caſum.*

Huic attexuntur *Confirmationis* argumenta, eo, quo ſupra jam adduximus ordine.

Et tandem Concluſio.

De Elocutione.

PErſpecto inventionis & diſpoſitionis artificio, reliquum eſt, ut & *elocutio* hujus epiſtolæ conſideretur. In elocutione autem duæ potiſſimum virtutes ab Ariſtotele requiruntur, 3. Rhet. c. 2. §. 1. & ſeqq. *perſpicuitas* nempe & *decens ornatus.*

Ambas iſtas dotes in Serviana hac licet animadvertere. Perſpicua enim eſt, quod propriis fere verbis eſt conformata, ita tamen ut tropi nonnunquam ſint inſperſi. Ornatum habet à ſchematibus & genere compoſitionis. Compoſitionis autem variæ ſpecies comparent vel in una hac epiſtola, quomodo illud cuiq; cum cura eam perluſtranti liquidò conſtabit.

Poſteaquam mihi — declaraſſem.) Genus hoc λέξεως ad periodos compoſitas erit referendum. Neq; enim periodi duntaxat jungun-

guntur cum membris & incisis, sed earum etiam sæpe inter se fit continuatio, absq; ullo intervallo sententiarum. Sunt ergo hæ duæ periodi τρίκωλοι, prior desinens in epitrito secundo, vocis *existimavi*, posterior in epitrito quarto, vocis *declarassem*. Ornatæ ambæ ὁμοιοπλέυτῳ, ambarum numerus uno etiam vocabulo continetur, quod facit ad robur & gravitatem orationis.

Etsi genus hoc — ea perspicias. Περιοδικὸν hoc est novem membrorum, προτάσεις quidem quinq; ἀπόδοσις verò quatuor. Habet metaphoram ὁμοιοτέλευτον, & clauditur choriambo.

Quid est quod — honores omnes. Continuantur hic tres periodi δίκωλοι, sed inter se dispares, cum ἐπενθέσει quatuor incisorum. Interrogatio adhibetur ad magis urgendum: asyndeton tum ad animi impetum, tum ad singulorum pondus & gravitatem significandam: γνώμη est consolanti conveniens. In fine est dispondéus.

Hoc uno — potuit? Periodus δίκωλος fere ἰσόκωλος, interrogatione ornata, & clausa pæane primo.

Aut qui non — æstimare? Periodicæ jungitur εἰρομένη dictio habens metaphoram & γνώμην, terminata ditrochæo.

An illius — doles? Membrum periodo præmissum.

Quoties in eam — *commutare.* Periodus τετράκωλος γνωμολογικὴ, clausa antibacchio.

Quid autem fuit — *committere putares.* Sunt duæ periodi δίκωλοι, in principio scilicet & fine, habentes in medio ἐνσύνα-ψιν trium incisorum & unius membri. Ornatur hæc periodorum cum incisis conjunctio ὁμοιοτελεύτῳ & subjectione, clauditurq; pæane tertio.

An ut ea — *ademptum sit.* Itidem duæ sunt periodi δίκωλοι, prior quidem à verbis, *an ut ea,* usq; ad, *lætaretur*; posterior à verbis, *quid horum,* usq; ad, *ademptum sit*, protensa, quæ pariter in medio tria habent sine flexu inclusa membra; cujusmodi incisorum membrorumq; in mediis periodis, vel periodorum in mediis membris positio Rhetoribus ἐνσύνα-ψις dicitur. Ornatum hoc dictionis genus est metaphorâ, γνώμη, subjectione, clausum antibacchio.

At verò malum — *perpeti.* Oratio membratim procurrens & periodica conjungunturu. Splendorem habet à γνώμη & subjectione, & clauditur jambo, cui rectè præponitur spondeus. *Ordinis* est, quod verbum *perpeti* verbo *sufferre* ceu fortius infirmiori est annexum, secus enim, decresceret oratio.

Quæ res mihi — *dolorem possit.* Periodus τρίκωλος ἰσοσκελὴς, ita ut in secundo membro

bro factus sit reditus cum appendice tertii. Terminatur antibacchio.

Ex Asia rediens — *tantoperè commoveris.* Species hæc quædam est fusæ orationis, πνευματικὴ dictæ, cujus usus præcipuè est in enumerationibus, & frequentationibus argumentorum. Quanquam in membrorum hujus dictionis aliquorum nexu instar quoddam periodi videre liceat. Decora hæc est oratio metaphoris, πρὸ ὀμμάτων, actu rem ob oculos ponentibus, vid. 3. Rhet. c. 11. §. 1. & seqq. λέξις ἐπιεικὴς μετρία, διαλυτῶσει, sermocinatione, νόημα. ὑποκορισμὸς in verbis, *homuncio, muliercula, animula* facit ad malum extenuandum. vid 3. Rhet. c. 2. §. 47. 48. Clauditur pede ditrocchæo.

Quasi hoc tempore — *nata fuerat.* Periodus τρίκωλος, cujus reversio in secundo statim fit membro cum appendicula tertii. Habet νόημα, & desinit in tribrachy.

Etiam tu ab hisce — *vita excessisse.* Πνεῦμα, qnantumvis membra ejus nonnulla valde sint flexuosa. Habet autem metaphoram, & asyndeton, plura enim hic enumerantur, quorum singula per se sunt gravia, habet item ὁμοιοτέλευτον, νόημα, συναθροισμὸν, μερισμὸν, in recensendis partibus felicitatis. quæ sunt; *vidisse patrem suum prætorem, consulem, augurem,*

 ado-

adolescentibus primariis nuptam fuisse &c. Clauditur epitrito quarto.

Quid est — possitis. Δίκωλ☉ μακρόκωλ☉. Habet νόημα & definit in molosso.

Deniq; noli — animum propone. Periodorum trium δικώλων hic fit continuatio, habens ploces quoddam instar, & νόημα, & clausa est epitrito quarto.

Nullus dolor — molliat. Elegans γνώμη periodo δικώλῳ comprehensa, metaphorâ ornata, dactylo terminata.

Hoc te — ocurrere. Λέξις κεχρημένη metaphorâ, ὁμοιοπτώτῳ & noemate decora, & clausa dactylo.

Quod si quis — non vult. Periodus τρίκωλ☉ fere ἰσοκωλής, quæ δίκωλ☉ erit, si medium membrum tertio includas, hoc modo: *Quod si quis inferis sensus est, hoc certè illa, qui ejus in te amor fuit, pietasq; in suos, facere te non vult.* In voce *sensus* polita pro *perceptione rerum, quæ hic fiunt*, est metaphora. Clauditur Ionico à minore.

Da hoc illi — uti possit. Oratio membratim procurrens, figurata anaphorâ, utpote quæ vim orationi addit. Desinit in epitrito quarto.

Deniq; quoniam — lugere. Periodus τετράκωλ☉ clausa epitrito quarto.

Plura

Plura me — diffidere. Oratio κεφαλαίῳ terminata dactylo.

Quare si hoc — scribendi. Δίκωλος βραχύκωλος terminata molosso.

Vidimus aliquoties — deesse. Periodus τετράκωλος habens intra eandem πλείων στιγμὴν periodum etiam μονόκωλον adjunctam & membrum. Κάλλος seu pulchritudinem habet à metaphora ὁμοιοπτώτῳ & dictione ἀνλακειμένῃ, finitur ditrochæo.

Quod ad me — faciam. Periodus τετράκωλος ἄνισος, in cujus ultimo membro facta est ἀπόδοσις, quæ & ipsa propter ἐπιμβολὴν valdè est περιοδικὴ & στρογγύλη, h. e. rotunda. Desinit in anapæsto.

Cicero S. D. Sulpicio.
(lib. 4. ep. 6. vulgat. edit.)

EGo vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses: quantum enim præsens me adjuvare potueris & consolando, & prope æque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, literis tuis lectis, aliquantulum acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ levare luctum possent; & in me consolando, non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit, & quanti ipse me faceret, &

quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet sæpe mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum, & societas pene ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori: quod ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, & magnis rebus gestis, amisit, & L. Paulus, qui duos septem diebus, & vester Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex rep. consequebantur: mihi autem, amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reip. procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram, existimabam id, quod erat, omnes me & industriæ meæ fructus & fortunæ perdidisse: sed, cum cogitarem hæc mihi tecum & cum quibusdam esse communia; & cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquiescerem; cujus in sermone & suavitate omnes curas doloresque deponerem: Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ

con-

consenuisse videbantur, recrudescunt: non enim, ut tum me à rep. mœstum domus excipiebat, qua levaret: sic nunc, domo mœrens, ad remp. confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. Itaque & domo absum & foro: quod nec eum dolorem, quem à rep. capio, domus jam consolari potest, nec domesticum resp. quo magis te exspecto, teque videre quamprimum cupio. Major mihi levatio afferri nulla potest, quam conjunctio consuetudinis sermonumq; nostrorum. Quamquam sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare: ego autem cum multis de caussis te exopto quamprimum videre, tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sic hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum, & prudentis, & liberalis, & (ut perspexisse mihi videor) nec a me alieni, & tibi amicissimi. Quod cum ita sit; magnæ tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio quiescendi. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione & Dispositione.

PRæcedenti epistolæ Servii hæc Ciceroniana respondet, adeoq; ejusdem est cum illa generis, deliberativi scilicet.

Exordium admodum est ἠθικὸν, agnoscit enim Cicero laudatq; tum Servii patris in adhibito

 hibito

hibito solatio benevolentiam, tum à Servio filio sibi præstita officia, proq; illis gratias agit, extollens ingenium argumentorumq; à Servio patre usurpatorum gravitatem: quod uti suæ ipsiusmet *probitati* modestè indicandæ, ita *benevolentiæ* etiam Servii sibi conciliandæ inservit mirificè.

Innititur autem hoc exordium argumento è 2. Rhet. Arist. c. 23. §. 15. deprompto: εἰ τὸ ἧττον ὑπάρχει, καὶ τὸ μᾶλλον ὑπάρχει. *Si quod minus inesse videtur, inest: & quod magis.*

Si tua literæ tantum valuerunt in me consolando, (τὸ ἧττον, minus verisimile.)

E. multò magis valuisset præsentia tua (τὸ μᾶλλον magis verisimile.)

Hinc sequitur *Propositio: Ut ut multum valuerit tua apud me consolatio, tamen dolor meus nondum potuit residere.*

Confirmat hanc suam propositionem, & argumentum Servii Sulpitii à clarissimorum virorum, qui similem olim fortunam habuerint, exemplis desumptum infirmat ἐνστάσει. Est autem ἔνστασις cum *aut Syllogismum non rectè conclusum, aut falsum aliquid pro vero sumptum esse* ostenditur. 2. Rhet. 26. §. 9. Argumentabatur Servius contra Ciceronem: *Clarissimorum virorum similis casus te multum potest solari*: Cicero hic adfert ἔνστασιν, ajens, falsum pro vero sumi, & longè disparem esse

sui

ſui & cæterorum à Servio adductorum virorum rationem; quæ enim his in ſimili caſu præſtò fuiſſent, illa ſibi omnia deeſſe. Syllogismus in forma erit iſtiusmodi:

Quemcunq; ea ſolatia deficiunt, quæ cæteris, quorum tu mihi exempla ſuggeris, & ego quotidie recordor, in pari fortuna non defuerunt, is talium virorum exemplis ſe conſolari non poteſt:

Me ea ſolatia deficiunt &c. E.

Minorem probat: Iſti enim viri iis fuerunt temporibus, ut quantumvis cariſſimos liberos amiſerint, eorum luctum tamen ipſorum dignitas, quam è Rep. ſint conſecuti, potuerit conſolari, ſibi autem non amiſſa tantùm omnia ornamenta, ſed unicum etiam, quod reliquum manſiſſet, ſolatium, filiam ſuam ereptam eſſe.

Probationem minoris amplificat ex παραθέσει Ariſtot. lib. 1. Rhet. c. 7. §. 67. καὶ τὸ ἀγαπητὸν, καὶ τοῖς μὲν μόνον, τοῖς δὲ μετ' ἄλλων. *Quod carum & amabile eſt, huic quidem ſolum, aliis autem non ſolum.*

Qui locus cùm propter ἀνανταπόδοτον ſit obſcurior, ἀπόδοσιν ejus explicationemq; vide apud Excell. Schrad. in Comment. ad hoc caput Rhet. Ariſt.

Movendo affectui *miſericordiæ* ſervit, quod amplificationem iſthanc claudit inſtitutâ com-

comparatione inter fortunæ priſtinæ conditionem tolerabilem, & miſeriam præſentem. *Præſenti enim tempore domo mœrere, ad Remp. non poſſe confugere &c.* κακὰ, utiq; ſunt maximè λυπηρὰ & ὀδυνηρὰ, & propterea etiam ἐλεεινὰ. Ariſtot. 2. Rhet. c. 8. §. 14.

Obſervanda hic Ciceronis eſt in affectu hoc ciendo prudentia, rectè enim admodum agit, & aditu quodam utitur receſſuq; decoro, ne vel deditâ operâ ad lacrymas impellere Servium, vel ſubito ad affectum prorumpere impetu voluiſſe videatur. In quo quidem concitando eò tantum usq; eſt argumentandum, ut de re perſonaq; demonſtretur, eam bonam vel malam, dignam vel indignam eſſe. *Quod ſi rectè fiat, ſitq; auditoris* (legentis noſtras literas) *animus, qui posſit oratione expugnari, ſequetur affectus ultrò*: uti præclarè monet Rudolphus Agricola lib. 3. de Inventione Dialectica cap. 3.

Quæ porro hiſce annectitur ad finem usq; epiſtolæ oratio, quâ ſe adventum Servii deſiderare, maximamq; ſibi fore levationem, fatetur, ſi ejus conſuetudine ſermonibusq; frui liceat, eâ, inquam, oratione ſuum erga Servium *amorem* liquidò demonſtrat. Eſt autem iſtiusmodi noſtræ erga alterum benevolentiæ teſtificatio pars *moratæ orationis*, ad quam formandum doctrina de affectu amoris inter reli-

quos

quos usus etiam apta nata est. Amamus verò τοὺς ἡδεῖς συνδιαγαγεῖν καὶ συνδιημερεῦσαι. *Quorum convictus ac consuetudo suavis est.* Arist. 2. Rhet. c. 4. §. 16.

De Elocutione.

ADvertenda jamvenit & elocutio hujus epistolæ, elegantia quippe (h. e. puritas & perspicuitas) dignitas & compositio. Est autem non pura tantum, id est, genuinam Latinitatem redolens, sed & perspicua, verbis nimirum propriis magnam partem contexta. Dignitas & Compositio ex inspectis singulis epistolæ periodis liquidiùs jam patebit.

Ego verò — *affuisses.* Periodus δίκωλος μακρόκωλος desinens fere in ditrochæo.

Quantùm enim — *acquievi.* Periodus τετράκωλος figurata ætiologia & ὁμοιοτελεύτῳ, clausa quasi ditrochæo.

Nam & ea — *adhibuisti.* Τρίκωλος periodus, ornata metaphora & ὁμοιοτελεύτῳ, terminata pæane tertio.

Servius tamen — *tamen gratiora.* Connectuntur hic duæ periodi, τρίκωλος cum δικώλῳ, prior dactylo, posterior ditrochæo est clausa, & ὁμοιοπτώτῳ ornata.

Me autem — *consolatur.* Periodus simplex est. Periodum indicant tum particulæ ἀποδοτικαὶ, *non solùm, sed etiam,* tum membri

inter-

interſectio, interq; illud ipſum diſſectum alterius ſententiæ rei ſcilicet differentis interjectio: verbum *conſolatur* reflectit periodum ad ſuum principium. ~~Bimembris~~ eſſet periodus, ſi verbum *conſolatur* bis occurreret, hoc modo: *Me autem non oratio tua ſolùm, & ſocietas penè ægritudinis conſolatur, ſed conſolatur etiam autoritas tua*; quam tamen ταυτότητα ceu parùm hic gratam de induſtria vitavit Cicero.

Turpe enim — ferendum putas. Periodus τρίκωλος ἰσοσκελὴς πρότασιν habens unius, & ἀπόδοσιν duorum membrorum: ornata eſt polyptoto & noemate, & clauſa jambo, quem rectè antecedit ſpondeus.

Sed opprimor — non defuerunt. Itidem periodus τρίκωλος, ſed ἄνισος, cujus poſtremum membrum ob ἐπεμβολὴν eſt σχοινοτενὲς, h. e. funis inſtar extentum. Habet ἐπανόρθωσιν, & clauditur quaſi ditrochæo.

Nam & Q. Maximus — ereptum eſt. Λέξις εἰρομένη, dictio jugis, tracta, non circumducta. 3. Rhet. c 9. §. 2. Perpolita eſt metaphorâ, anaphorâ, πολυπτώτῳ ὁμοιοπτώτῳ & ἀνομοιώσει, atq; eâ perfectâ, quia nempe rationem diſſimilitudinis ſui cum aliorum hominum exemplis Cicero ſtatim adjungit.

Non amicorum — mea. Periodus ſimplex: uno namq; membro inchoatur eodemq; perficitur oratio; καμπὴν facit ὑπέρβατον verbi impe-

impediebantur, quod unà cum verbis ultimis membrum inflectit & reflectit ad principium. Ex hac autem volubili oratione facilè potest confieri, fusa & soluta, hujusmodi ἀνάλυσις, *cogitationes meæ non impediebantur amicorum negotiis, neq; Reip. procuratione.* Illustrata est anaphorâ, jamboq; clausa præcedente spondeo.

Nihil in foro — *poteram.* Duo membra citra periodum prolata.

Existimabam — *perdisse.* Periodus μονόκωλος, habens πρόθεσιν & ἐπένθεσιν, πρόθεσιν in verbo *existimabam*, ἐπένθεσιν in verbis *id quod erat*: membrùm rectum erit, si verborum sensus ita proferatur: *omnes industriæ meæ fructus & fortunæ perdidi*: membrum circumductum erit per ἐπένθεσιν, si verba ita ordinentur: *omnes me & industriæ meæ fructus, existimabam, & fortunæ perdidisse*; membrum circumductum erit per πρόσθεσιν sive additionem ad finem factam, si verborum sententia ita enuncietur: *omnes me & industriæ meæ fructus & fortunæ perdidisse, rectè existimabam.* *Perdidisse* est ditrochæus, ut qui optimè in clausula cadit.

Sed cum cogitarem — *confugerem.* Hactenus periodus τετράκωλος πρότασει constans trium & ἀποδόσει unius membrorum, cui statim per πρόσθεσιν junguntur duo membra, usq; ad *depo-*

deponerem: Nitor orationis apparet tum ex verbis ſententiisq; tum ex venuſto verborum ſitu ac collocatione. In verbis quippe *frangerem, deponerem* latent metaphoræ περὶ ὀμμάτων, quæ cum actu rem ob oculos ponant, orationem maximè urbanam faciunt. Ariſt. l. 3. Rhet. c. 10. & 11. Decora item hæc eſt dictio ἀσυνδέτῳ, ὁμοιοτελεύτῳ & noemate, deſinit in jambo præcedente ſpondeo.

Nunc autem — recrudeſcunt. Periodus μονόκωλος elegantibus conſpicua metaphoris in verbis *vulnere, conſanuerunt, recrudeſcunt.*

Non enim ut tum — acquieſcam. Periodus quadrimembris decuſſata, πετράκωλος χιαζομένη, πρότασιν habens duorum, & ἀπόδοσιν totidem membrorum, primum quidem tertio, ſecundum quarto reſpondet. Metaphora, ἀντιμετάθεσις & λέξις ἀντικειμένη ornatam eam & jucundam faciunt. 3. Rhet. c. 9. §. 30. Terminatur ditrochæo.

Ita & domo — Resp. Periodus τρίκωλος ἀνισος, cujus medium membrum propter ἐπιμβολὴν eſt circumductum & ξωνότερες. Ornatur polyſyndeto, polyptoto, παρηγμένῳ & ἀντιμεταθέσει, finitur dactylo.

Quo magis te — cupio. Hoc genus λέξεως Ciceroni frequens propter particulam *magis* videtur eſſe inchoatæ periodi protaſis, cujus apodoſis mente erit ſupplenda in hunc

forte

fortè modum: *quàm exspectarem, si aliunde consolationem invenirem.*

Major mihi — *nostrorum.* Periodus δίκωλος pene ἰσόκωλος.

Quanquam — *appropinquare.* Κῶλον extra periodum inclusam habens μεταξυλογίαν. Præmittit Cicero interdum particulam redditivam *quanquam* membro à periodo disfecto, sed ita, ut haud obscurè ea respiciat antecedentem periodum, ejusq; sit quasi continuata & uberior declaratio.

Ego autem — *amicissimi.* Periodus τετράκωλος, cujus ultimum membrum χοινότητος polysyndero est ornatum.

Quod cùm ita — *quiescendi.* Periodus itidem τετράκωλος sed brevior & ὁμοιοπτώτῳ decora.

Ordinis est, quod omnium fermè hujus epistolæ periodorum sensus verbo est clausus.

Juncturæ est, quod oratio pro rei, de qua agitur, natura nunc lenis est, nunc sonora. &c.

Cicero S. D. Lucceio Q. F.
(lib. 5. epist. 12. vulgat. edit.)

Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam pene subrusticus: quæ nunc expromam absens audacius: epistola enim

 non

non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis. Quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum: tamen ignoscas velim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum etsi erat semper à me vehementer exspectatum; tamen vicit opinionem meam; meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendatari tuis. Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiæ, vel suavitate ingenii vivi perfruamur. Neque tamen, hæc cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus præmerere susceptarum rerum & jam institutarum. Sed, quia videbam Italici belli & civilis historiam jam pene à te esse perfectam; dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjunctè ne malles cum ceteris rebus nostra contexere, an, ut multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historiis ea, quæ dixi, bella separaverunt; tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus externisque bellis sejungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare, dum ad locum venias, ac statim caussam illam totam & tempus arripere. Et simul, si uno in argumento una-

unaque in personâ mens tua tota versabitur; cerno jam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam, (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem: quid, si illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen QUI *semel verecundiæ fines transierit, eum bene & naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas; gratiamque illam, de qua suavissime quodam in proœmio scripsisti, à qua te affici non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontium illum à voluptate: ea si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere, amorique nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare. Quod si te adducemus, ut hoc suscipias: erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate & copia tua. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse: in quo & illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum; cum & reprehendes ea, quæ vituperanda duces, &, quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis; & si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem inscribendo suppeditabunt, plenam cujusdam volu-*

ptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. NIHIL *est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunæque vicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ.* HABET *enim præteriti doloris secura recordatio delectationem; ceteris vero, nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquam ei percunctanti dictum est, clypeum esse salvum: ut etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cujus studium in legendo non erectũ Themistoclis fuga redituque retinetur? etenim ordo ipse analium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum: at viri sæpe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissima lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continetibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumq; nostrorum. Habet enim varios actus, multasq; actiones & consiliorum & temporum. Ac non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonstrem, me à te*

potissi-

potissimum ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias; & qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quam eos, qui laudent, assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ caussa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices, corporis simulacra ignotis nota faciebant: quæ vel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Nec minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus; qui neq; pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statuasq; superavit. Atque hoc præstantius mihi fuerit & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in ceterorum; quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi & spectatissimi viri, & in reip. maximis gravissimisque caussis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solum præconium, quod, cum in Sigæum venisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. Placet enim Hector ille

 mihi

mihi Nævianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato viro. Quod si à te non impetro; hoc est, si qua te res impedierit; (neque enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo & clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere vitia: & verecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si quid est laudandum; & prætereant, si quid forte reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui, cum ceteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibent, ne sua voce ipsi se victores esse prædicent. Hæc nos vitare cupimus, &, si recipis caussam nostram, vitabimus: idque ut facias, rogamus. Ac, ne forte mirere, cur, cum mihi sæpe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus litteris mandaturum, à te id nunc tantopere & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus, ut & ceteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos cognoscant, & nosmet ipsi vivi gloria nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis caussam: conficiam commen-

tarios

tarios rerum omnium. Sin autem differes me in tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non cessabis, & ea, quæ habes instituta, perpolies, nosque diliges. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione.

PEritoria hæc est epistola, adeò equidem conscripta egregiè, ut, si nimiam, quæ in Cicerone fuit, laudis aviditatem exceperis, satietatem nunquam afferat sæpissimè lecta, ceu rectè judicat de ea Paullus Manutius Comment. in M. Tullii epist. ad Famil. Commendat eam Cicero Attico suo epist. 6. lib. 4. *Epistolam*, inquiens, *Luceio quam misi, qua res meas ut scribat, rogo, fac, ut ab eo sumas, valde bella est.*

Petit autem à L. Luceio belli Italici scriptore, ut *res à se in consulatu præclarè gestas literis memoriæq; prodat.* Quibus verbis comprehenditur epistolæ *status* seu *conclusio demonstranda.* Aperte illa statim sub epistolæ initium post breve duntaxat exordium his verbis exprimitur: *Ardeo cupiditate incredibili, neq;, ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis.*

Ante autem quam hujusmodi propositionem argumentis δεικτικοῖς confirmet, per elegan-

gantissimas aliquot moratas orationes in animum Luceji suaviter irrepit, petitionemq; suam tribus veluti capitibus interpungit, quibus certum quendam præscribit modum rationemq;, secundum quam res suas ab eo cupiat illustrari.

Rogo ut id facias

I. *Quàm celerrimè.* Ratio (*1.*) *Genus enim scriptorum tuorum elegantius utiq; perfectiusq; opinione meâ ita incendit me, ut moræ qualiscunq; planè sim impatiens.* (*2.*) *Commemoratio posteritatis me ad spem immortalitatis rapit.* (*3.*) *Volo autoritate testimonii tui, benevolentiâ & ingenii vivus frui.* *E. fac id quàm celerrimè.*

Sunt hæ affabrè formatæ orationes ethicæ depromtæ è l. 1. Rhet. cap. 9. §. 16. & 32. ubi per τὰ μνημονεύματα intelliguntur *statua, monumenta, poemata, historia & his similia, quæ famam alicujus ad posteros propagant & exornant,* uti exponit Excell. Schrader, Comment. Rhet. in hunc locum.

II. Rogo, ut facias illud *separato libro.* (*1.*) *Sic enim fecerunt Callisthenes, qui Troicum, Timæus, qui Pyrrhi, Polybius, qui Numantinum bellum à perpetuis suis historiis separaverunt.* (*2.*) *Hoc factu tibi est facile* (δυνατὸν καὶ ῥᾴδιον, 2. Rh. 19. §. 75.) *Facilius*

cilius enim est in uno, quàm pluribus versari argumentis. E. fac id libro separato.

III. Rogo, ut *leges historiæ negligas.* Inter tres autem historiæ leges à Cicerone lib. 2. de Orat. commemoratas tertia hic significatur, ut paret ex sequentibus, videlicet, *ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis.*

Post tripartitam hanc petitionem jam primas quasi lineas ducit, quas in futura scriptione ut velit Lucejus advertere, persuadere ei id ipsum annititur argumentis è loco assumto *jucundi*, monstratis ab Aristotele l. 1. Rhet. c. 11.

Et primum quidem depromtum est è §. 35. ejus capitis.

Τὸ μεταβάλλειν ἡδύ. *Alia ex aliis mutare, dulce.*

Ecquid suavius tibi esse poterit, quàm si scribendo complectaris principium conjurationis Catilinariæ, usq; ad reditum meum ab exilio? quid dulcius, quàm si causas rerum novarum explices, & remedia incommodorum? si nunc reprehendas reprehendenda, nunc probes probanda. &c.

Secundum è §. 43. αἱ περιπέτειαι. *Rerum subitæ varietates inq; contrarium mutationes.*

Multam etiam casus nostri tibi varieta-

 tem

tem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, &c.

Tertium è §. 14. *Jucunda sunt recordatu non ea tantùm, quæ cùm præsentia essent, suavia erant, sed & quædam non suavia, si quid ex eis posteà pulchri ac boni consecutum sit.* *Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.*

Quartum. *Ipsa etiam misericordia est jucunda iis, qui nullâ propria perfuncti sunt molestiâ, alienos autem casus sine dolore intueri possunt.*

Hanc verò alienæ cladis lectionem ejusq; misericordiam jucundam esse probat exemplo Epaminondæ & Themistoclis.

Quintum argumentum è loco communissimo. ἐκ τοῦ ἧττον, à minori 2. Rh. 23. §. 14. *Si annales breves illæ annorum historiæ nos in legendo mirificè afficiunt, multò atiq; magis delectabit quemquam copiosior variæ fortunæ meæ commemoratio.*

Sextum enthymema è loco proprio generis deliberativi 1. Rhet. 5. §. 3. & 6. *Quæ felicitatem nostram partemve ejus augent, sunt agenda.*

Magnæ tibi erit gloriæ, si negotium isthoc susceperis, & res meas scribendo exornaveris. E.

Hoc argumentum illustrat exemplis & colla-

collatione picturæ imaginumq; cum monumentis historicis. Exemplum autem est facti sive actus alicujus commemoratio, quâ ostenditur, aliquem simile vel facturum vel facere debere.

Gloria fuit Apelli, quod Alexandrum M. pinxerit, gloria item Lysippo, quod eundem finxerit; sic tibi quoq; erit gloria, ubi me exornaveris.

Spartiates (Spartanus) Agesilaus à nullo nisi probato artifice pingi voluit; sic ego à nullo, nisi perito historico laudari cupio.

Et quemadmodum laudi fuit Timoleonti, quod Timæum habuerit laudatorem; Themistocli, quod Herodotum: ita & mihi erit gloriæ insigni, si à te potissimùm scriptis celebratus fuero.

Septimum è loco communissimo, τῶν ἐναντίων, *contrariorum.* Hic recenset varia incommoda isthæc, certò sibi eventura, si fortè scribere abnuat Lucejus.

1. Ipsius de me scribens verecundiæ causâ multa debeo præterire.
2. Minor erit fides,
3. Minor autoritas,
4. Multi me arguent impudentiæ &c.

Rogo igitur, ut tu causam meam suscipere velis. &c.

Argu-

Argumenta ethica.

ATq; hæc λογικὰ funt argumenta, quibus fcilicet refpectu caufæ fuæ ufus eft Cicero ad *demonftrandum*. Quorum quidem fingula temperata ferè funt *moratis orationibus*, quibus *prudentiam*, *benevolentiam*, & *probitatem* fuam indicat Cicero ad animum Luceji fibi *conciliandum*.

Modeftiam quidem & *probitatem*, dum fatetur, vereri fe, ne impudenter faciat, quod tantum ei oneris imponat, fcire fe, quantis oneribus prematur Lucejus &c.

Modeftiam item, quando res à fe geftas paffim extenuat.

Benevolentiam, cum Lucejum cum Hercule Xenophontio comparat.

Prudentiam, quando paffim γνωμικῶς loquitur, & in varios locos communes vel abit, vel ad eosdem alludit.

Benevolentiam iterum, quando à Luccjo potius, ait, quàm à quoquam alio fe cupere laudari. &c.

Intuere fingulas periodos intimiùs, deprehendes, vel unicâ voce exprimi nonnunquam moratam orationem, & M. Tullium liberum femper candidumq;, de rebus omnibus quid fentiat, proferre judicium.

Argu-

Argumenta pathetica.

EX affectibus *lætitiam* cumprimis, *desiderium* & *amorem* erga Lucejum passim hic indicari à Cicerone, non poterit obscurum ei esse, qui sequentes ab Aristotele l. 1. Rh. c. 11. & lib. 2. c. 4. & 5. allatas προτάσεις probè intellexerit.

Libr. nimirum 1. Rh. c. 11. §. 8. habet hanc πρότασιν Aristoteles: *Quicquid cupimus, suave est.* Inciso 11. & 12. isthanc: *Ii, qui recordantur sperántve, voluptate afficiuntur.* Inciso 33. dicit: *Jucundum est, admirationi esse.* Cujus quidem capitis propositiones omnes uti affectibus vel contestandis, vel excitandis, vel comprimendis vehementer sunt accommodatæ, ita gaudium suum & desiderium etiam Cicero adductis illis tribus προτάσεσι evidenter testatur, ceu inspicienti epistolam id liquidiùs patebit. *Gaudium enim & desiderium cum nostrum ostenditur, tum alienum excitatur, commemoratione illius, quod vel nobis vel alteri accidit jucundum,* ut ait Exc. Schrad. Comm. Rh. ad hoc caput Aristot.

Amorem Lucceji sibi conciliare studet, *deprædicando bona, quæ in eo insunt.* è lib. 2. Rh. c. 4. §. 18. Suum autem erga Lucejum amorem cum ex iisdem fontibus ostendit, ἠθικῶ illud sermonis induit naturam.

De

De Dispositione.

Exordium breve desumptum à causa, qua se ad scribendum impulsum esse ostendit: *Ideo scribo, quia tantam rem coram abs te petere pudet.*

Propositionem brevibus & perspicuis verbis effert: *Ardeo cupiditate incredibili, neq; ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis.*

Confirmationi hujus propositionis inservit omnequod reliquum est epistolæ usq; adfinem. Vide quæ paulò ante diximus de inventione.

De Elocutione.

Sequitur Elocutio. In hac autem duas præcipuè virtutes Aristoteles requirit 3. Rhet. 2. §. 1. *perspicuitatem* nimirum *phraseos*, & *decentem ornatum*. Perspicuitas autem cum propriis, ornatus translatis verbis egeat, & latinâ perspicuaq; dictione, & cultu ornatuq; quin compositionis genere etiam commendabilis hæc est epistola, tametsi oratio magna nam partem est εἰρομένη.

Coram me — *erubescit.* Tria membra citra flexum connexa: cujusmodi λέξις Aristoteli 3. Rhet. c. 9. εἰρομένη, Ciceroni tracta appellatur. Lumen habet tum à metaphora in voce *expromam*, à cella promptuaria ad exponenda

nenda animi ſenſa tranſlata, tum à ſchematibus παῤῥησίας & αἰτιολογίας. Terminatur pede ditrochæo fini convenientiſſimo.

Ardeo — celebretur tuis. Similiter oratio περιοδική, nitens metaphoris in verbis *ardeo* & *illuſtretur*, ab igne & lumine deſumptis. Monente Manutio animadvertenda hic eſt numeri ſuavitas ex jambo poſt ſpondeum ſententiam claudente, ut pauſò pòſt, *feſtinationi meæ*, & *commendari tuis.*

Quod etſi — feſtinationi meæ. Periodus δίκωλος pene ἰσόκωλος.

Genus enim — commendari tuis. Duarum periodorum δικώλων alterius βραχυκώλου, alterius μακροκώλου connexio, ornata metaphorâ & occupatione.

Neq; tamen hæc — retinere poſſit. Quæ hic longâ ſerie, multisq; periodis Grammaticis perſequitur Cicero, pariter ſpirant fuſum illud ſeu pendulum orationis genus, quod Græcis εἰρόμενον dicitur, quanquam unum in eo & alterum conſpiciatur membrum, quod paulò eſt circumductius. Metaphoræ in vocibus *corpus, materies, remedium, contexere &c.* lumen adferunt orationi; ἐρώτημα, occupatio γνώμαι & νοήματα aptiſſima ſunt ad gravitatem ſignificandam ſchemata, & ſuadenti maximè conveniunt, ἀναφορά, ἀσύνδετον & incrementum faciunt ad animi indicandum impetum.

Nihil

mihi Nævianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato viro. Quod si à te non impetro; hoc est, si qua te res impedierit; (neq; enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo & clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere vitia: & verecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si quid est laudandum; & prætereant, si quid forte reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui, cum ceteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibent, ne sua voce ipsi se victores esse prædicent. Hæc nos vitare cupimus, &, si recipis caussam nostram, vitabimus: idque ut facias, rogamus. Ac, ne forte mirere, cur, cum mihi sæpe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus litteris mandaturum, à te id nunc tantopere & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus, ut & ceteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos cognoscant, & nosmet ipsi vivi gloria nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis caussam: conficiam commentarios

tarios rerum omnium. Sin autem differes me in tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non cessabis, & ea, quæ habes instituta, perpolies, nosque diliges. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione.

PEtitoria hæc est epistola, adeò equidem conscripta egregiè, ut, si nimiam, quæ in Cicerone fuit, laudis aviditatem exceperis, satietatem nunquam afferat sæpissimè lecta, ceu rectè judicat de ea Paullus Manutius Comment. in M. Tullii epist. ad Famil. Commendat eam Cicero Attico suo epist. 6. lib. 4. *Epistolam*, inquiens, *Lucejo quam misi, qua res meas ut scribat, rogo, fac, ut ab eo sumas, valde bella est.*

Petit autem à L. Lucejo belli Italici scriptore, ut *res à se in consulatu præclarè gestas literis memoriæq; prodat.* Quibus verbis comprehenditur epistolæ *status* seu *conclusio demonstranda.* Aperte illa statim sub epistolæ initium post breve duntaxat exordium his verbis exprimitur: *Ardeo cupiditate incredibili, neq; , ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis.*

Ante autem quam hujusmodi propositionem argumentis δεικτικοῖς confirmet, per ele-

 gan-

gantissimas aliquot moratas orationes in animum Luceji suaviter irrepit, petitionemq; suam tribus veluti capitibus interpungit, quibus certum quendam præscribit modum rationemq;, secundum quam res suas ab eo cupiat illustrari.

Rogo ut id facias

I. *Quàm celerrimè.* Ratio (*1.*) *Genus enim scriptorum tuorum elegantius utiq; perfectiusq; opinione meâ ita incendit me, ut moræ qualiscunq; planè sim impatiens.* (*2.*) *Commemoratio posteritatis me ad spem immortalitatis rapit.* (*3.*) *Volo autoritate testimonii tui, benevolentiâ & ingenii vivus frui.* *E. fac id quàm celerrimè.*

Sunt hæ affabrè formatæ orationes ethicæ depromtæ è l. 1. Rhet. cap. 9. §. 16. & 32. ubi per τὰ μνημονεύματα intelliguntur *statuæ, monumenta, poemata, historia & his similia, quæ famam alicujus ad posteros propagant & exornant,* uti exponit Excell. Schrader. Comment. Rhet. in hunc locum.

II. Rogo, ut facias illud *separato libro.*

(*1.*) *Sic enim fecerunt Callisthenes, qui Troicum, Timæus, qui Pyrrhi, Polybius, qui Numantinum bellum à perpetuis suis historiis separaverunt.* (*2.*) *Hoc factu tibi est facile* (δυνατὸν καὶ ῥᾴδιον, 2. Rh. 23. §. 75.) *Facilius*

cilius enim est in uno, quàm pluribus versari argumentis. E. fac id libro separato.

III. Rogo, ut *leges historiæ negligas.* Inter tres autem historiæ leges à Cicerone lib. 2. de Orat. commemoratas tertia hic significatur, ut patet ex sequentibus, videlicet, *ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis.*

Post tripartitam hanc petitionem jam primas quasi lineas ducit, quas in futura scriptione ut velit Lucejus advertere, persuadere ei id ipsum annititur argumentis è loco assumto *jucundi*, monstratis ab Aristotele l. 1. Rhet. c. 11.

Et primum quidem depromtum est è §. 35. ejus capitis.

Τὸ μεταβάλλειν ἡδύ. *Alia ex aliis mutare, dulce.*

Ecquid suavius tibi esse poterit, quàm si scribendo complectaris principium conjurationis Catilinariæ, usq; ad reditum meum ab exilio? quid dulcius, quàm si causas rerum novarum explices, & remedia incommodorum? si nunc reprehendas reprehendenda, nunc probes probanda. &c.

Secundum è §. 43. αἱ περιπέτειαι. *Rerum subitæ varietates inq; contrarium mutationes.*

Multam etiam casus nostri tibi varieta-

tem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, &c.

Tertium è §. 14. *Jucunda sunt recordatu non ea tantùm, quæ cùm præsentia essent, suavia erant, sed & quædam non suavia, si quid ex eis postea pulchri ac boni consecutum sit.*

Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.

Quartum. *Ipsa etiam misericordia est jucunda iis, qui nullâ propria perfuncti sunt molestiâ, alienos autem casus sine dolore intueri possunt.*

Hanc verò alienæ cladis lectionem ejusq; misericordiam jucundam esse probat exemplo Epaminondæ & Themistoclis.

Quintum argumentum è loco communissimo. ἐκ τοῦ ἧττον, à minori 2. Rh. 23. §. 14.

Si annales breves illæ annorum historiæ nos in legendo mirificè afficiunt, multò atiq; magis delectabit quemquam copiosior variæ fortunæ meæ commemoratio.

Sextum enthymema è loco proprio generis deliberativi 1. Rhet. 5. §. 3. & 6. *Quæ felicitatem nostram partemve ejus augent, sunt agenda.*

Magnæ tibi erit gloria, si negotium isthoc susceperis, & res meas scribendo exornaveris. E.

Hoc argumentum illustrat exemplis & colla-

collatione picturæ imaginumq; cum monumentis historicis. Exemplum autem est facti sive actus alicujus commemoratio, quâ ostenditur, aliquem simile vel factu-rum vel facere debere.

Gloria fuit Apelli, quod Alexandrum M. pinxerit, gloria item Lysippo, quod eundem finxerit; sic tibi quoq; erit gloria, ubi me exornaveris.

Spartiates (Spartanus) Agesilaus à nullo nisi probato artifice pingi voluit; sic ego à nullo, nisi perito historico laudari cupio.

Et quemadmodum laudi fuit Timoleonti, quod Timæum habuerit laudatorem; Themistocli, quod Herodotum: ita & mihi erit gloriæ insigni, si à te potissimùm scriptis celebratus fuero.

Septimum è loco communissimo, *τῶν ἐναντίων, contrariorum.* Hic recenset varia incommoda isthæc, certò sibi eventura, si fortè scribere abnuat Lucejus.

1. Ipsius de me scribens verecundiæ causâ multa debeo præterire.
2. Minor erit fides,
3. Minor autoritas,
4. Multi me arguent impudentiæ &c.

Rogo igitur, ut tu causam meam suscipere velis. &c.

Argu-

Argumenta ethica.

ATq; hæc λογικὰ sunt argumenta, quibus scilicet respectu causæ suæ usus est Cicero ad *demonstrandum*. Quorum quidem singula temperata ferè sunt *moratis orationibus*, quibus *prudentiam, benevolentiam*, & *probitatem* suam indicat Cicero ad animum Luceji sibi *conciliandum*.

Modestiam quidem & *probitatem*, dum fatetur, vereri se, ne impudenter faciat, quod tantum ei oneris imponat, scire se, quantis oneribus prematur Lucejus &c.

Modestiam item, quando res à se gestas passim extenuat.

Benevolentiam, cum Lucejum eum Herculе Xenophontio comparat.

Prudentiam, quando passim γνωμικῶς loquitur, & in varios locos communes vel abit, vel ad eosdem alludit.

Benevolentiam iterum, quando à Lucejo potius, ait, quàm à quoquam alio se cupere laudari. &c.

Intuere singulas periodos intimiùs, deprehendes, vel unicâ voce exprimi nonnunquam moratam orationem, & M. Tullium liberum semper candidumq;, de rebus omnibus quid sentiat, proferre judicium.

Argu-

Argumenta pathetica.

EX affectibus *lætitiam* cumprimis, *desiderium* & *amorem* erga Lucejum passim hic indicari à Cicerone, non poterit obscurum ei esse, qui sequentes ab Aristotele l. 1. Rh. c. 11. & lib. 2. c. 4. & 5. allatas προτάσεις probè intellexerit.

Libr. nimirum 1. Rh. c. 11. §. 8. habet hanc πρότασιν Aristoteles: *Quicquid cupimus, suave est.* Inciso 11. & 12. isthanc: *Ii, qui recordantur sperántve, voluptate afficiuntur.* Inciso 33. dicit: *Jucundum est, admirationi esse.* Cujus quidem capitis propositiones omnes uti affectibus vel contestandis, vel excitandis, vel comprimendis vehementer sunt accommodatæ, ita gaudium suum & desiderium etiam Cicero adductis illis tribus προτάσεσι evidenter testatur, ceu inspicienti epistolam id liquidiùs patebit. *Gaudium enim & desiderium cum nostrum ostenditur, tum alienum excitatur, commemoratione illius, quod vel nobis vel alteri accidit jucundum,* ut ait Exc. Schrad. Comm. Rh. ad hoc caput Aristot.

Amorem Lucceji sibi conciliare studet, *deprædicando bona, quæ in eo insunt.* è lib. 2. Rh. c. 4. §. 18. Suum autem erga Lucejum amorem cum ex iisdem fontibus ostendit, ἠθικῶ illud sermonis induit naturam.

De

De Dispositione.

Exordium breve desumptum à causa, qua se ad scribendum impulsum esse ostendit: *Ideo scribo, quia tantam rem coram abs te petere pudet.*

Propositionem brevibus & perspicuis verbis effert: *Ardeo cupiditate incredibili, neq; ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis.*

Confirmationi hujus propositionis inservit omnequod reliquum est epistolæ usq; adfinem. Vide quæ paulò ante diximus de inventione.

De Elocutione.

SEquitur Elocutio. In hac autem duas præcipuè virtutes Aristoteles requirit 3. Rhet. 2. §. 1. *perspicuitatem* nimirum *phraseos*, & *decentem ornatum.* Perspicuitas autem cum propriis, ornatus translatis verbis egeat, & latinâ perspicuaq; dictione, & cultu ornatuq; quin compositionis genere etiam commendabilis hæc est epistola, tametsi oratio magna nam partem est εἰρομένη.

Coram me —— *erubescit.* Tria membra citra flexum connexa: cujusmodi λέξις Aristoteli 3. Rhet. c. 9. εἰρομένη, Ciceroni tracta appellatur. Lumen habet tum à metaphora in voce *expromam*, à cella promptuaria ad exponenda

nenda animi ſenſa translata, tum à ſchematibus παῤῥησίας & αἰτιολογίας. Terminatur pede ditrochæo fini convenientiſſimo.

Ardeo — celebretur tuis. Similiter oratio αἰσμένη, nitens metaphoris in verbis *ardeo* & *illuſtretur*, ab igne & lumine deſumptis. Monente Manutio animadvertenda hic eſt numeri ſuavitas ex jambo poſt ſpondeum ſententiam claudente, ut pauſò pòſt, *feſtinationi meæ*, & *commendari tuis*.

Quod etſi — feſtinationi meæ. Periodus δίκωλος pene ἰσόκωλος.

Genus enim — commendari tuis. Duarum periodorum δικώλων alterius βραχυκώλου, alterius μακροκώλου connexio, ornata metaphorâ & occupatione.

Neq; tamen hæc — retinere poſſit. Quæ hic longâ ſerie, multisq; periodis Grammaticis perſequitur Cicero, pariter ſpirant fuſum illud ſeu pendulum orationis genus, quod Græcis εἰρόμενον dicitur, quanquam unum in eo & alterum conſpiciatur membrum, quod paulò eſt circumductius. Metaphoræ in vocibus *corpus*, *materies*, *remedium*, *contexere* &c. lumen adferunt orationi; ἐρώτημα, occupatio γνῶμαι & νοήματα aptiſſima ſunt ad gravitatem ſignificandam ſchemata, & ſuadenti maximè conveniunt, ἀναφορὰ, ἀσύνδετον & incrementum faciunt ad animi indicandum impetum.

Nihil

Nihil est enim — jucunda. Periodus γνωμολογικὴ, μονόκωλος nempe cum δικώλῳ βραχυκώλῳ conjuncta, ornata ὁμοιοπτώτῳ & molosso clausa.

Habet enim præteriti — spem, timorem. Post periodicam iterum εἰρομένη utitur dictione, eamq; illustrat γνώμη, interrogationibus, ἀναφορᾷ, incremento, antithetis &c.

Si verò exitu — voluptate. Δίκωλος μακρόκωλος.

Quo mihi acciderit — celebrariq; velle Oratio εἰρομένη translatione decora in verbo *aucupari*, desinens in ditrochæo.

Neq; enim tu — arbitrere. Periodus τετράκωλος, habens ὁμοιόπτωτον & dictionem ἀντικειμένην, exit in ditrochæo.

Neq; autem ego — consequatur. Τρίκωλος ἄνισος similiter ditrochæo terminata.

Neq; enim Alexander. Jam quæ sequuntur usq; ad finem fere epistolæ, pleraq; sunt εἰρόμενα, ita tamen, ut dictioni simplici in eadem πλείᾳ στιγμῇ vel præposita sit, vel apposita dictio periodica, quæ adeo periodum Grammaticam vel inchoet vel claudat. Jucunda est paranomasia in verbis *fingi, pingi, fictam, pictam*, metaphora in verbo *incendit*. Intuere cætera textus verba intimiùs.

His de rebus — rescribas velim. Tali verborum positu periodus hæc est μονόκωλος.

Si

Si enim suscipis — *tecum loquar.* Periodus πτεράκωλος valde conspicua.

Tu interea — *diliges.* Oratio ἀειρμένη.

Cicero S. D. Luccejo.

(lib. 5. ep. 13. vulgat. edit.)

Quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est; declarat enim summam benevolentiam conjunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem, & optime contra fortunam paratum armatumque cognovi. Quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, Non *aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, (etenim penitus insederat) vi tamen tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa: cui te opitulari & video, & id fecisse etiam proximis litteris, multumque profecisse sentio. Itaque hoc saepius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. Ad consolandum autem cum illa valent, quae eleganter copioseque collegisti; tum nihil plus, quam quod firmitudinem gravitatemque animi tui perspexi, quam non imitari, turpissimum existimo. Itaque hoc etiam*

fortiorem me puto, quam te ipsum præceptorem fortitudinis, quod tu mihi videris spem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora: casus enim gladiatorii, similitudinesque eæ, tum rationes in ea disputatione a te collectæ, vetabant me reipub. penitus diffidere. Itaq; alterum minus mirum, fortiorem te esse, cum aliquid spectes; alterum mirum, spe ulla teneri. Quid est enim non ita affectum, ut id non deletum exstinctumque omne esse fateare? Circumspice omnia membra reip. quæ notissima sunt tibi: nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumve sit. Quæ persequerer, si aut melius ea viderem, quam tu vides; aut commemorare possem sine dolore. Quamquam tuis monitis præceptisque omnis est abjiciendus dolor. Ergo & domestica feremus, ut censes, & publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui præcipis. Te enim spes aliqua consolatur, ut scribis; nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & præcipis. Das enim mihi jucundas recordationes conscientiæ nostræ, rerumque earum, quas, te inprimis auctore, gessimus. Præstitimus enim patriæ non minus certe, quam debuimus, plus profecto, quam est ab animo cujusquam aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de me ipso aliquid prædicanti. Quarum enim tu rerum cogitatione nos levare ægritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaq; ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis & angorib. abducam, transferamq; animum ad ea,

quibus secundæ res ornantur, adversæ adjuvantur: tecumq; & ero tantum, quantum patietur utriusq; ætas & valetudo; &, si esse una minus poterimus, quam volemus, animorum tamen conjunctione, iisdem studiis ita fruemur, ut numquam non una esse videamur. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione.

Respondet hâc epistola Cicero ad Lucejî consolatoriam sed deperditam, adeoq; generis est deliberativi.

Argumenta autem, quibus Ciceronem tum filiæ tum Reip. interitum dolentem consolatus fuerat, quanquam duobus forte fuerint plura, uti haud obscurè colligere est ex ipsis Ciceronis verbis, quibus Lucejum multa eleganter & copiosè collegisse fatetur ad consolandum multùm valentia, ad duo tamen inprimis hic à Cicerone videmus responderi, quorum

1. Παθητικὸν fuit, fidentiæ nempe affectum Ciceroni movens è §. 43. lib2. Rhet. c. 5. ὅταν τοῖς ὁμοίοις μὴ ᾖ φοβερὸν, μηδὲ τοῖς ἥττοσι, καὶ ὧν κρείττους οἴονται εἶναι. *Cum vident sui similes non terreri, neq; inferiores, & eos quibus ipsi se potentiores putant.*

   Ego qui te longè sum inferior forti sum animo.

E. nec tibi quidquam metuendum.

II. Fuit λογικὸν, ab *honesto* scilicet ductum, 1. Rhet. c. 9. §. 16. καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα. *Ea quæ à virtute proficiscuntur, honesta sunt.*

Conscientia rerum à te præclarè gestarum abundè te poterit solari. E. noli te excruciare.

Ut adeò status epistolæ Lucejanæ fuerit: *Noli filiæ & Reip. interitum nimiùm dolere.* Rationes verò huic conclusioni demonstrandæ aptæ indicara illa duo & alia argumenta.

Huic statui Cicero in hac epistola opponit istum: *Valet tua consolatio apud me.* Vel, *Nolo ego me nimiùm angere*, Vel, ut Cicero ipsus effert: *Abducam me ab angoribus.*

Ad primum Luceji argumentum respondet per collationem, dum palam profitetur, fortiorem se esse ipso Lucejo præceptore fortitudinis. Nervus argumenti ita patet: *Tu fortis es, sperans, hæc tempora aliquando futura meliora. Ego meliorem Reip. statum planè desperans forti sum animo.*

Lætiorem autem Reip. faciem minimè futuram probat è loco *partium*: partibus enim vel omnibus, vel maximè principalibus sublatis, non potest non tolli ipsum totum. *Circumspice omnia membra Reip. quæ notissima sunt*

sunt tibi, nullum reperies profectò, quod non fractum debilitatúmve sit.

Ad secundum argumentum à conscientia rerum gestarum deductum ita respondet Cicero, ut sat ponderis illud apud se habere dicat. Conscientia enim fretus beneficiorum suorum Reip. præstitorum haud paulò plus fortè, quàm satis est, liberiùs meminit. Sed hujusmodi nævi in pulcherrimo corpore dissimulandi potiùs, quàm reprehendendi.

Ἤθη ϗ πάθη.

Ἦθος *beuevolentiæ, probitatis & prudentiæ* elucet in omni hac epistola: benevolentiæ quidem statim sub initium ejus, dum prudentem Lucejum optimeq; contra fortunam armatum dicit.

Prudentiæ ἦθος indicat γνώμη illa: *Non scilicet aliunde pendendum esse:* γνωμολογεῖν namq; ἠθικοὺς ποιεῖ τοὺς λόγους. Arist. 2. Rhet. 21. §. 40.

Benevolentiam captat prædicando firmitudinem & gravitatem animi Lucejani.

Probitatis ἦθος est, cum sine dolore non posse se commemorare omnia mala ait:

Deniq; & *amoris* affectum ciet in fine epistolæ, quando se animorum conjunctione, iisdemq; studiis ita fruiturum esse ait, ut semper cum Lucejo esse videatur. Fluit hoc ex propositione Aristotelica 2. Rhet. c. 4. §. 26.

φιλοῦσι καὶ τοὺς ὁμοίους καὶ ταυτὰ ἐπιτηδεύοντας, αἰ μὴ παρενοχλῶσι, μηδὲ ἀπὸ ταυτοῦ ᾖ ὁ βίος· γίγνεται γὰρ οὕτω τὸ, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. *Amant quisq; similes sui, & iisdem studiis deditos, nisi eorum alter alteri obstet. Tunc enim locum habet: Et figulus figulo &c.*

De Dispositione

EA ex iis, quæ de Inventione diximus, patet: habet nimirum epistola *Exordium*, quo comprobatur officium Lucceji, & genus consolationis, quo usus fuerat.

Propositio est: *Valet tua consolatio apud me.*

Propositionem sequitur *Confirmatio*, & illa partim ἀνασκευαστικὴ, ad argumentum Lucceji respondens, partim κατασκευαστικὴ, suam sententiam probans.

Hinc Conclusio: *E. feram æquo animo domestica & publica mala.*

De Elocutione.

IN hac si elegantiam spectes, pura est & perspicua, maximam quippe partem verbis propriis constans & perspicuis. Dignitatem si attendas, tropis eadem ac figuris concinnata est. Compositionem si pensites, periodos habet numerosq; elegantes.

Quanquam — cognovi. Periodus τετράκωλος, πρότασιν habens duorum & ἀπόδοσιν, pariter

riter duorum membrorum: ornata est ὁμοιοπτώτοις, & clausa molosso.

Quam quidem laudem — rationes. τετράκωλος μεταφορᾷ & γνώμῃ decora.

Quæ cogitatio — convulsa. Huc usq; periodus δίκωλος μακρόκωλος, cui alia per ἐπισύναψιν annectuntur membra, usq; ad verbum *sentio.* Λέξει huic multum splendoris arcessunt elegantes metaphoræ, brevis μεταξυλογία, & ὁμοιόπτωτον. Terminatur dactylo.

Itaq; hoc — gratius. τετράκωλος ὁμοιοπτώτοις decora.

Ad consolandum — perspexi. Hactenus comprehensio quadrimembris metaphorâ illustrata, cui annectitur membrum aliud usq; ad verbum *existimo.*

Itaq; hoc etiam — meliora. Itidem τετράκωλος παρηγμένῳ illustrata & συμβολῇ.

Casus enim — diffidere. Oratio εἰρομένη, dactylo terminata.

Itaq; alterum — teneri. περιοδικὸν πεντάκωλον brevibus constans membris, illuminatum anaphorâ & παρηγμένῳ, clausum quasi ditrochæo.

Quid est enim — esse fateare. Bimembris fine longiore, metaphora conspicua.

Circumspice — debilitatumve sit. Quadrimembris paulò simplicior, itidem metaphoris fulgens.

Quæ persequerer — *sine dolore.* Itidem quadrimembris, sed antecedente circumductior, ornata πολυπτώτῳ & ὁμοιοπτώτῳ.

Quanquam tuis — *dolor.* Membrum extra periodum.

Ergo & domestica — *qui præcipis.* Et hæc τετράκωλυ quoddam habet instar: λέξις αὐξανομένη urbanam eam facit.

Te enim — *fortes.* Hactenus δίκωλος, cui per πρόσθεσιν adjungitur membrum usq; ad *præcipis.* In verbis *hortaris* & *præcipis* observandus est *ordo,* infirmiori enim fortius quid est subjunctum. Habet item παράδοξον.

Das enim — *gessimus.* Δίκωλος βραχύκωλος.

Præstitimus enim — *postulatum.* Duæ μονόκωλοι, quarum prior ὁμοιοπτώτῳ ornata.

Ignosces — *prædicanti.* Membrum extra periodum ditrochæo quasi clausum.

Quarum enim — *lenimur.* Δίκωλος βραχύκωλος metaphoris decora.

Itaq; ut mones — *abducam.* Λέξις εἰρομένη.

Transferam — *adjuvantur.* Δίκωλος μακρόκωλος, ἀντιθέσει & ὁμοιοτελεύτῳ ornata & clausa ditrochæo.

Et ero — *valetudo.* Μονόκωλος.

Et si esse — *videamur.* Quadrimembris trochæo terminata.

Cice-

Cicero procos S. D. Ap. Pulchro imp.
(lib. 3. epist. 4. vulgat. edit.)

PRidie non. Jun. cum essem Brundisii, litteras tuas accepi; quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum mecum loqui velles, eum sane exspectabam, ut ea, quæ à te afferret, quamprimum cognoscerem. Meum studium erga te & officium tametsi multis jam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in iis maxime declarabo, quibus plurimum significare potuero, tuam mihi existimationem & dignitatem carissimam esse. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. F. & diligentissime M. Octavius Cn. F. demonstravit, me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam antea judicaram, maximeque illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum, suavissimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci; tum accesserunt etiam conjunctiones necessariorum tuorum. Duos enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompejum filiæ tuæ socerum, & M. Brutum, generum tuum. Collegiique conjunctio, præsertim tam honorifice à te approbata, non mediocre vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. Sed si Clodium convenero, ex illius sermone ad te scribam plura; & ipse operam dabo, ut te quamprimum videam. Quod scribis, manendi tibi caus-

sam eam fuisse, ut me convenires: id mihi, ne mentiar, gratum est. Vale.

Analysis Rhetorica

Epistola hæc est officiosa, in qua Cicero studium & benevolentiam suam Appio offert, allatis causis, quibus ad diligendum eum cumprimis sit adductus.

Conclusio ergo demonstranda hæc est: *Mi Appi, ego amo te.* Quod ut ei persuadeat, utitur moratâ oratione, ut quæ secundum Aristotelem διὰ ἤθους habet πίστιν. Propositiones autem ejus petitæ sunt è c. 4. lib. 2. Rhet. *de amore.* Nam non ad alterius tantum erga te, aut aliorum erga alios, sed & ad tuum erga alterum amorem demonstrandum apta nata esse ejus capitis axiomata, præclarè docet Excell. Schraderus in de Rhetoricorum Aristotelis sententia & usu, commentario, observat. 4. in hoc caput. Est verò hujusmodi nostræ ergà alterum benevolentiæ demonstratio pars moratæ orationis, ut constat ex 2. Rhet. c. 1. § 10.

Primum ductum argumentum est è §. 30. dicti illius capitis *de amore.* Καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται. *Amamus eos, apud quos in pretio esse volumus.* Hanc propositionem Cicero ita aptat: *Mihi & Q. Fabius Vergilianus, & C. Flaccus diligen-*

gentissimè demonstravit, me à te plurim, fieri &c.

II. è §. 21. Καὶ τοὺς μὴ μνησικάκους, μηδὲ φυλακτικοὺς τῶν ἐγκλημάτων, ἀλλ' εὐκαταλλάκτους. *Amamus eos, qui facilè obliviscuntur acceptas injurias, neq; in animo conservant ac continent, si quas causas habent de aliis conquerendi, sed placabiles sunt.* Fuisse enim inter Appium & Ciceronem inimicitias, eas autem ab utroq; depositas jam ante P. Clodii necem, atq; adeò ante Appii consulatum, indicat epistola 10. & lib. 2. epistola decima tertia (vulgatæ editionis) & oratio pro Milone, notante ad hunc locum Manutio. Effatum autem Aristotelis Cicero ita breviter effert: *Nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cœpisti, quotidie pluris feci.*

III. argumentum latet in ἀποδόσει periodi: *Tum accesserunt etiam conjunctiones necessariorum tuorum.* Aristoteles dicit §. 8. καὶ τοὺς τῶν φίλων φίλους. *Amamus amicorum amicos,* adde & necessarios, arctiore quadam benevolentia devinctos.

IV. ducitur è §. 26. καὶ τοὺς ὁμοίους. *Amant quisq; similes sui & iisdem studiis deditos.* Hoc Cicero ita effert: *Collegiiq; conjunctio, præsertim tam honorificè à te approbata non mediocre vinculum mihi quidem attulisse*

tulisse videtur ad voluntates nostras copulandas.

Ex jam dictis facile patet & *Dispositio. Exorditur* nimirum à brevi narratione: hanc excipit ipsa *propositio*, continens testificationem amoris & officiorum pollicitationem. *Confirmatio* fit argumentis jam allatis. *Conclusio* habet longioris epistolæ promissionem, adventus sui significationem, & consilii diutius in provincia manendi approbationem.

Elocutio pura est & perspicua, propriis quippe verbis constans & usitatis. Evidentiores periodi sunt.

Meum studium — *carissimam esse.* τετράκωλος.

Nam cùm te ipsum — *necessariorum tuorum.* Bimembris.

Si Clodium convenero — *scribam plura.* Itidem bimembris.

Cætera dictio partim pendula est, partim membratim procurrens; nonnulla etiam membra sunt extra compositionem,

M. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.
(lib. 4. epist. 1. vulgat edit.)

C. Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quæsisse quibus in locis essem; molesteq; ferre

ferre, quod me propter valetudinem tuam, cum ad urbem accessissem non vidisses; & hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profecto aliquid opis occidenti reipub. tulissemus. Cognoram enim jam absens, te hæc mala ante providentem, defensorem pacis & in consulatu tuo, & post consulatum fuisse. Ego autem cum consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Sero enim veneram: solus eram: rudis esse videbar in caussa, incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil jam videmur posse opitulari reipub. si quid est, in quo nobismet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostra retineamus, sed ut quam honestissime lugeamus; nemo est omnium, quicum potius mihi, quam tecum communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. Atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne ejus animum offenderem, qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, cum me rogaret ut adessem in senatu, eadem omnia, quæ à te de pace, & de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. Rem vides, quo modo se habeat; orbem terrarum, imperiis distributis, ardere bello; urbem sine legibus,

sine

sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptioni & incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil potest, non modo quod sperem, sed vix jam quod audeam optare. Sin autem tibi, homini prudentissimo, videtur utile esse, nos colloqui: quamquam longius etiam cogitabam ab urbe discedere, cujus jam etiam nomen invitus audio; tamen propius accedam. Trebatioque mandavi, ut, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret: idque ut facias, velim: aut, si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas; ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mihi accedere. Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo: ut exploratum habeam, quidquid nos communi sententia statuerimus, id omnes homines probaturos. Vale.

Analysis Rhetorica

Cùm Cicero id hac in epistola agat præcipuè, ut Sulpitio ordine exponat, se de colloquio quodam inter semet ipsos instituendo ei omninò assentiri, sed nihil opis occidenti Reip. afferre posse, ab hoc utiq; principe fine negotialis nomen sortietur epistola, & pertinebit ad narratorias generis demonstrativi.

Jam in narrationibus partim gesta, partim gerenda exponuntur, cui rei inservit mirificè amplificatio, generi quippe demonstrativo maximè accommodata 1. Rhet. 9. §. 63. Hæc sive gesta, sive gerenda vel sunt privata; vel publica

publica. In hac epistola sunt publica: agunt enim de remediis exstinctæ ferme Reip. afferendis.

Ordo in hujusmodi epistolis est arbitrarius, talis quippe, qualem ipsa natura & scribendarum rerum materia suppeditat. Status ergo una aliqua enunciatione efferri non potest.

Age, consideremus secundum inventionem singula ejus capita.

C. Trebatius — *communicare*. Exordium sumptum est à scribendi occasione, sive ab ipsa materia. *Quia intellexi è Cajo Trebatio, te cupere mecum communicare, hoc ad te scripsi.*

Te molestè ferre, quod me propter valetudinem tuam non vidisses. ἠθικὸν est: agnoscere enim amici erga nos desiderium, benevolentiam spirat & probitatem.

Utinam — *tulissemus*. Instar propositionis est: *Libenter tecum communicem, si modò prodesse possim*. Cur autem nihil profuerit, ejus rei causas adfert, 1. *quod serò venerit*, 2. *quod solus fuerit*, 3. *quod rudis fuerit in causa*, 4. *quod inciderit in hominum pugnandi cupidorum insanias*.

Aliquid opis occidenti Reip. tulissemus. ἦθος amorem erga Remp. spirans.

Cognoram te hac mala multò ante providentem.

tem. Laudare aliquem citra adulationem, ἠθικὸν est & benevolentiam spirat.

Nec enim clarissimorum virorum exempla te fugiunt. Ἦθος benevolentiæ.

Atq; ipse anteà. Alia narratio & expositio, cur antea non scripserit.

Cui quidem — dicturum. Nova narratio, sive novi negotii expositio.

Rem vides — incendiis. Hypotyposis affectui misericordiæ movendo apta, Arist. l. 2. Rh. c. 9. Amplificationem hujus πάθους suppeditant varia adjuncta, personarum locorum, temporum, finis, modi.

Itaq; — optare. Expositio, quo animo sit hoc rerum statu.

Sin autem — accedam. De colloquio indicat se velle ei gratificari.

Trebatio — accedere. Novi negotii à se procurati, consilii item alicujus expositio.

Ego tibi — probaturos. Claudit epistolam moratâ oratione.

Ex quibus patet, epistolam hanc post narratiunculas istas moratam etiam & patheticam esse.

Examinanda jam est & elocutio.

Cujus Trebatius — communicare. Est tractum seu pendulum orationis genus: sine reversione enim sententia sententiæ agglutinatur, quarum quæq; suam habet ἐπεμβολήν.

Orna-

Ornatur ὁμοιοτελεύτοις, & clauditur ditrochæo.

Utinam servi — tulissemus. Jam variat orationem, & periodicè procedit. Est autem ista periodus δίκωλος pene ἰσόκωλος habens πρότασιν 20. & ἀπόδοσιν 21. syllabarum. Μεταξυλογία enim seu parenthesis periodi pars non est. Habet metaph. in verbo *occidenti*, & ὁμοιοτέλευτον in *potuissemus, tulissemus.* Clauditur antispasto.

Cognoram — fuisse. Oratio σεμνὴ decora πολυπτώτῳ.

Ego autem — proficiebam. Periodus τρίκωλος ἄνισος, protasin habens duorum & apodosin unius inæqualium membrorum. *Probarem, sentirem* sunt ὁμοιοτέλευτα.

Serò enim — insanias. Post periodicam utitur jam rectâ elocutione, & incisim, quod vult, profert, iteratione tamen ὁμοιοτελεύτῳ in vocibus *veneram, eram.*

Nunc quoniam — putem. Oratio περικωλίαν excedens orbe tamen quodam conclusa procurrens παραβολὴ dicitur.

Nec enim — fugiunt. Λέξις σεμνὴ ὁμοιοπτώτῳ ornata.

Atq; ipse antea, — petebat. Periodus trimembris, cujus membrum quodq; duas habet sententias, e sex autem sententiis compositio-

fitione tria facta sunt membra. Hat et ἐπαγόρ-θωσιν, & in fine ditrochæum.

Cui, quidem — *dicturum.* Membrum χοινοθετὲς propter ἐπεμβολὰς quibus est incisum. Ex hoc τελχῶλ@ fieri potest periodus hujusmodi μεζαποιήσει:

Qui cùm me, ut adessem in Senatu, rogaret,
Ego illi dicturum me esse eadem omnia ostendi,
Quæ à te de pace, & de Hispaniis dicta sunt.

Rem vides — *incendiis.* Dictio ἀεσμδὴν, ornata metaphorâ, anaphorâ, & synonymiâ, figuris orationi gravitatem & acrimoniam conciliantibus.

Itaq; mihi — *optare.* Trimembris.

Sin autem tibi — *accedam.* Quadrimembris habens ὑπέρβατον, h. e. membrorum & constructionis ordinem turbatum; poterit hujusmodi collocatione fieri fortè magis perspicua:

Quanquam cogitabam longiùs ab illa urbe discedere,
Cujus etiam nomen invitus audio,
Tamen propiùs ad illam accedam,
Cùm utile tibi videatur esse, nos colloqui.

Trebatioq; — *velim.* Δίκωλ@ habens προσθήκην.

Si quem tuorum — *accedere.* τρίκωλος.
Ego tibi tantum — *probaturos.* Μονοκώλῳ annectitur periodus τρίκωλος.

Cicero procos S. D. Ap. Pulchro imp.
(lib. 3. epist. 8. vulgat. edit.)

Etsi, quantum ex litteris tuis intelligere potui, videbam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato jam levissimo sermone hominum provincialium: tamen, cum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris brevi responderem. Sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodam modo reliquenda sunt: nihil enim habent, quod definitum sit, aut certum: nisi me vultu & taciturnitate significasse, tibi non esse amicum; idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & non nullis in conviviis intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo: illud quidem scio, meos multos & illustres, & ex superiore & ex æquo loco serrmones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te vere potuisse deferri. Nam, quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius aut justius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis civi-

civitatibus postulantibus? nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium notum non erat. Apameæ cum essem, multarum civitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, cum solvendo civitates non essent. Hic ego multa simul cogitavi. Primum, te, hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari: idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputavisse, primum, Appium, Clodium senatui populoque R. non Myndensium testimonio, (in ea enim civitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum: deinde, me ista vidisse accidere multis, ut eorum caussa legationes Romam venirent; sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi aut locum dari: studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent; consilium totum videri minime necessarium: si autem vellent declarare in eo officium suum, laudaturum me, si quis suo sumptu functus esset officio, concessurum; si legitimo; non permissurum, si infinito. Quid enim reprehendi potest? nisi quod addis; visum esse quibusdam edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum. Jam non tam mihi videntur injuriam facere ii, qui hæc disputant, quam si cujus aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictum. Nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto

cto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt quadam nova, salutaria civitatibus quibus ego magnopere delector. Hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem, translaticium est. Neque enim eram tam desipiens, ut privatæ rei caussa legari putarem, qui & tibi non privato, & pro re non privata sua, sed publica, non in privato, sed in publico orbis terræ consilio, id est, in senatu, ut gratias agerent, mittebantur. Neq. cum edixi, ne quis injussu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent. Nam id est maxime in tuis litteris irridendum. Quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurumve transirent; cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœcesium, quæ cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus legationesque convenirent? Nisi forte postea cœperunt legare, quam ego Taurum transgressus sum. Quod certe non ita est, cum enim Laodiceæ, cum Apameæ cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconii essem; quibus in opidis omnibus commoratus sum: omnes jam istius generis legationes erant constitutæ. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum à me postulassent, ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem,

 quam

quam tu non ignoras, capitum atque ostiorum, inducerentur sumptus minime necessarii. Ego autem, cum hoc suscepissem, non solum justitia, sed etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates, & perditas maxime per magistratus suos; non potui in illo sumptu non necessario uegligens esse. Tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Sin autem eo genere delectaris, ut, quæ tibi in mentem veniant, aliis attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. Ego, si in provincia de tua fama detrahere umquam cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundisii, neque ad præfectum fabrûm Corcyræ, quem in locum me venire velles, retulissem. Quare potes, doctissimis hominibus auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere: Disputabant, ego contra disserebam: Dicebant; ego negabam. An mihi de te nihil esse dictum umquam putas? ne hoc quidem, quod, cum me Laodiceam venire voluisses; Taurum ipse transisti? quod iisdem diebus meus conventus erat Apameæ, Synnadis, philomeli, tuus Tarsi? non dicam plura; ne, in quo te objurgem, id ipsum videar imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est: sin alii tecum hæc loquuntur: tua tamen, quod audis, culpa non nulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans & gravis reperietur. Quod si quis me astutiorem fingit; quid

potest

potest esse callidius, quam, cum te absentem semper defenderim, cum præsertim mihi usu venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens à te defendendus essem, nunc committere, ut tu jure optimo me absentem deserere posses? Unum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici, si aut legatorum tuorum cuipiam, aut præfectorum, aut tribunorum mil. male dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut in plures, quam mecum Corcyræ Clodius est locutus, cum in eo genere maxime quereretur, te aliorum improbitate minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quod & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi numquam, sed non valde repressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam; simulque non de meis pejus quam de te existimat. Sin autem quem mea instituta in provincia non delectant, & quadam dissimilitudine institutorum meorum ac tuorum lædi se putat; cum uterque nostrum recte fecerit, sed non idem uterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in provincia patuit, nostra si angustior, & si de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum; non debent mirari homines, cum & natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & tempo-

ribus, quibus alii moventur, iisdem ego movear, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis quod me certiorem fecisti, cum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus unum illud te præcipue rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat aut temporis. Hortensiumque nostrum collegam & familiarem roges, ut, si umquam mea caussa quidquam aut sensit, aut fecit, de hac quoque sententia bima decedat, qua mihi nihil potest esse inimicius. De nostris rebus quod scire vis, Tarso nonis Oct. Amanum versus profecti sumus. Hæc scripsi postridie ejus diei, cum castra haberem in agro Mopsuestiæ. si quid egero, scribam ad te: neque domum umquam ad meos litteras mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt, admisto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum. Tu velim ad me quam sæpissime & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni reip. statu: de quo sum sollicitus eo magis, quod ex tuis litteris cognovi, Pompejum nostrum in Hispaniam iturum. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione & Dispositione.

JUridicialis generis hæc est epistola, tota fere in refutandis Ciceroni ab Appio objectis cri-

criminibus occupata. Ad tria autem potissimum capita crimina isthæc poterunt referri, quorum

I. est, *quod Cicero nullas planè significationes benevoli erga Appium animi dedisset.*

Appius ergo considerandus ut accusator:

Jam *accusanti diligenter videndum est, quæ & cujusmodi ex iis* (voluntatis & facultatis signis) *in adversario insint; defendenti autem, quæ quamq; multa non insint.* Arist. 1. Rhet. c. 10. §. 13.

Appii intentio fuit: *Tu Cicero inimicus mihi es:* Ciceronis depulsio: *ego minimè sum tibi inimicus.* Quæstio ergo, *an Cicero Appio fuerit inimicus,* status est conjecturalis.

Appium certè intentionem suam probasse oportuit: probationes autem ejus, quantum ex Cicerone patet, admodum fuerunt imbecilles; nihil enim eas definiti, nihil certi habere demonstrat.

Probare tamen eam nisus est argumento petito ἐκ τȣ̃ τεκμηρίȣ, 2. Rhet. 15. §. 9. Sunt autem argumenta è tecmerio, e. g. *Fumus apparet, ergo ignis subest. Spirat, ergo vivit. Cicatricem in fronte habet, ergo in fronte vulneratus fuit.*

Tu Cicero pro rostris & in conviviis, ubi honorifica mei facta est mentio, tacuisti, & frontem corrugasti. E. es mihi inimicus.

Cicero Appii argumentum solvit ἀντισυλλογισμῷ· ἀνταποδεικνύει γὰρ τὸ ἀντικείμενον. οἷον, εἰ ἔδειξεν, ὅτι γέγονεν, οὗτος, ὅτι οὐ γέγονεν. *Demonstrat enim contra, id quod adversatur ei, quod conclusit adversarius. Ut si ille docuit, factum esse, hic docet, factum non esse.* 1. Rhet. 16. §. 6. & 7.

Ego pro tribunali, & privatis in locis (illa enim loca per superiorem & æquum locum videtur intelligere) *habui multos & illustres sermones cum summa tua laude, & magna significatione meæ tecum familiaritatis. E. Valde tibi sum amicus.* Præclarè Arist. 2. Rhet. c. 15. §. 27. *Alia dissolvendi via nulla relinquitur, quàm ut ostendamus, verum non esse id quod dicitur.*

II. est, quod Cicero impedivisset legatos Romam profectos Appii laudandi causâ ob præclarè administratam provinciam.

Appii ergo intentio fuerit iterum: *Tu Cicero impedivisti legatos meo nomine Romam proficiscentes.* Ciceronis depulsio: *Impedivi, at id jure feci.* Hinc cùm facti qualitas in controversiam veniat, nascitur status Qualitatis, & speciatim juridicialis,

cialis, tractat enim de re præterita: *An Cicero jure impediverit legatos Appii laudandi causâ Romam proficiscentes.*

Syllogismus Appianus est:

Quicunq; legatos me laudatum Romam proficiscentes impedivit, is de laude & fama mea detraxit.

Tu Cicero impedivisti. E.

Cicero respondet ἐκ τοῦ κοινοῦ τῷ διαβάλλοντι, καὶ τῷ ἀπολυομένῳ, ἐπειδὴ τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται πλειόνων ἕνεκα πεπρᾶχθαι· τῷ μὲν διαβάλλοντι κακοηθιστέον ἐστὶ τὸ χεῖρον ἐκλαμβάνοντι· τῷ δὲ ἀπολυομένῳ ἐπὶ τὸ βέλτιον. *Ex eo quod commune est & inferenti crimen, & depellenti: quoniam fieri potest, ut eadem res pluribus de causis facta sit; qui criminatur, debet eam depravare, atq; in deteriorem partem inflectere, qui verò crimina dissolvit, in meliorem partem trahere.* 3. Rhet. cap. 15. §. 17.

Ciceronis ergo Appiano oppositus syllogismus erit:

Quicunq; ex nullo alio mentis proposito, quam ut sumptus civitatum egentissimarum minuerentur, legatos impedivit, is rectè fecit. Ego ex nullo &c. E.

Syllogismi hujus propositioni minori probandæ, magna epistolæ pars inservit; omnis autem isthæc probatio nititur *æquitate, & consuetudine.* Non solùm summa

ma æquitatis ratio postulat, sed & à multis retro annis mos ille obtinuit, ut nimios civitatum sumptus magistratus quocunq; modo posset, imminueret. *Quod ergo edixi, ne legati Romam injussu meo proficiscerentur, ex quo suspicatus es, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem, novi nihil feci, aut à me exquisitum, ut minuerem dignitatem tuam: translatitium id fuit, id est, usitatum antea, & ad omnes consuetudine translatum.* Paul. Manut. Comment. in hanc epist.

Quæ autem præterea adferuntur, multiplicis sunt status: sic pertinet ad statum *assumptivum relationis*, quando se civitatibus postulantibus sumptus earum minuisse dicit. Remotio enim est, cum culpam rejicimus in aliam personam, quàm quæ malum accepit: vel in rem quidem, sed sic, ut voluntas sive intentio facti concedatur. Voss. Part. Orat. lib. I. c. 9. §. 14.

Minui sumptus egentissimarum civitatum,

Sed ipsarum civitatum jussu.

Ad statum *purgationis* pertinet, & speciatim ad *excusationem imprudentiæ*, cùm sibi totum genus legationum Appii nomine

mine

mine proficiſcentium non ſatis notum fuiſſe confitetur:

Impedivi legationes,
Sed genus earum mihi parùm erat notum, &c.

Sub finem epiſtolæ gratias agit, quod de rebus urbanis diligenter ſcripſerit, ſibiq; omnia Ciceronis mandata curæ fore ſignificaverit: in quibus eum illud rogat præcipuè, ne ſibi provinciale negotium prorogetur. Hiſce addit non nihil de ſuis rebus; de itinere Amanum verſus: item de Parthis falſum fuiſſe. De rebus tandem Appii, de ſuis, de omni Reip. ſtatu crebrò certior fieri cupit.

Omnia iſthæc nunc *moratis*, nunc *patheticis* ſunt implicata orationibus. *Probitatem* nimirum ſuam indicat, cum non augendos, ſed minuendos civitatum ſumptus ex verò judicat, non reticens interim ſuam in largiendo ex alienis parſimoniam. *Prudentiam* oſtendit, cum ita refellit Appium, ut non tam ipſum, quàm falſos delatores, quibus nimiùm ille credidiſſet, mendacii inſimulet. Si qua *γνώμη* vel ad illam alluſio compareat, ejusdem memineris eſſe cenſus. *Benevolentiæ* parandæ veſtigia patebunt cum cura epiſtolam totam perlegenti.

Lenitatis adfectum ciet, cum id, quod tantoperè

toperè urebat Appium, impedita nimirum legatio, per ὀλιγωρίαν quandam, hoc est, contemtus, incommodationis, aut contumeliæ causâ nequaquam factum esse, toties confitetur. vid. 2. Rhet. c. 3. §. 3. Facit etiam insigniter ad deleniendum Appium, quod majoribus olim beneficiis, quàm præsens forte sit, si sit, injuria, se eum dicit affecisse. Καὶ τοῖς μείζω κεχαρισμένοις. *Lenes sumus erga eos, qui nobis aliquando majoribus in rebus gratificati sunt.* 2. Rhet. c. 3. §. 11.

Ego te absentem jam olim defendi, sermones de te habui cum summa tua laude, & magna significatione mea tecum familiaritatis, qui ergo hodie quidquam committerem, cur tu me jure queas deserere?

De Elocutione.

Restat ergo epistolæ φράσις, quæ, uti rectè observavit Philippus Melanchthon, non est περιοδική, hoc est, cujus membra flexum atq; rotunditatem habent, sed majorem partem vel εἰρομένη, i. e. jugis sive tracta, vel incisim & membratim procurrens, cujusmodi compositionis singula commata aut cola singulas absolvunt sententias. Habet tamen & ipsa nonnullas periodos, quanquam, ut Rhetores vocant, solutiores, & à tractæ orationis indole haud magnopere diversas. Examinabimus

bimus maximè conſpicuas, eandem quam in antecedentibus, viam inſiſtentes:

Etſi quantum — reſponderem. Periodus quadrimembris, προτάσιν habens duorum & ἀπόδοσιν totidem membrorum, metaphoram autem in verbo *refrigerare.*

Sed prima duo — intelligi potuiſſe. Compoſitio membris aliquot conſtans, citra tamen flexum connexis, lineæ inſtar longæ.

Hoc totum — intelligo. Membrum cum periodo δικώλῳ μακροκώλῳ in una periodo Grammatica. Luſus eſt in vocabulo *nihil,* quod modò pro *non,* modo pro eo, *quod non eſt,* uſurpatur.

Illud quidem — deferri. Κῶλον χοινοῖενές.

Nam quod ad — poſtulantibus. Periodus bimembris cum προθέσει unius & ἐπιθέσει itidem unius membri. Pellucidam reddit elocutionem σχῆμα τῆς παρηγμένης, *minuerem, imminutione.*

Nam mihi — non erat. Membrum.

Apamea cum — non eſſent. Periodus quadrimembris, ſed à conſpicua circumvolutione paulò ſolutior.

Hic ego multa — minimè neceſſarium. Sequuntur pluſcula membra oblonga, ſingula ſententiam abſolventia. Schema πολυπτώτε in verbis, *laudatum, laudandi,* & in mox ſequentibus, *laudaturum,* item in *legationes, le-*

gationibus simplicem & inaffectatam quandam venustatem adfert orationi.

Si autem vellent — *si infinito.* Περιοδικὸν ἐπτάκωλον brevissimis constans membris, ornatum ὁμοιοτελεύτῳ & πολυπτώτῳ.

Quid enim — *accommodatum.* Membratim procurrens oratio, schemate interrogationis acutula reddita.

Jam non — *patent.* Bimembris, sine breviori, continens allusionem ad locum communem de calumnia: Non temere esse credendum sermonibus hominum improborum.

Romæ composui — *convenirent.* Hic membra aliquot iterum sunt absoluta, & singula absolventia sententiam, aliquot verò jugiter & citra circumductionem inter se connectuntur, ut faciant orationem εἰρομένην, quanquam in aliquibus, & præcipue circa finem hujus λέξεως instar quiddam periodi videre liceat. Ornata autem hæc est dictio ἀντιθέσει, πολυπτώτῳ & occupatione, in qua, ut Cornificius ait, multum inest acrimoniæ & gravitatis.

Observari etiam meretur, singulas fere clausulas gaudere longis syllabis, jambisq; crebrioribus, qui, quod à brevibus in longas nituntur, omnibus partibus insurgunt & orationem graviorem reddunt, e. g. *responderem*, *de-*

deferri, postulantibus, non erat, non essent, infinita, patent, delector, mittebantur &c.

Nisi forte — transgressus sum. Membrum.

Quod certè non — constitute. Περσύναψις membri cum adjunctione periodi τρικώλου. Αναφορὰ in iterata particula *cum* orationi vim addit.

Atq; hac tamen — debuisti credere. Λέξις εἰρομένη jucundam habens ἀναδίπλωσιν, in verbis: *ut levarem miseriis perditas civitates, & perditas maximè per magistratus suos.*

Sin autem eo — liberale. Post tractam utitur jam circumducta elocutione, ut nimirum varietate compositionis vitetur tædium. Est autem periodus τρίκωλος.

Ego si — retulissem. Bimembris ἀποδόσει productiori, ἀσυνδέτῳ & ὁμοιοτελεύτῳ ornata, clausa fere pæane quarto, pede fini periodorum commodissimo, 3. Rh. 8. §. 15.

Quare potes — negabam. Membrum κοινότελες cum ἐπισυνάψει periodi quatuor brevissimorum membrorum, μίμησιν & ὁμοιόπτωτον continentium.

Elegans etiam est & valde φανερὰ periodus τετράκωλος à verbis: *si ista, quæ,* usq; ad, *nonnulla est.*

Mea ratio — reperietur. Membrum extra periodum.

 Quod

Quod si quis — deserere possis. Periodus quadrimembris cum ἐπενθέσει trium aliorum membrorum. Πολύπτωτα venustam reddunt orationem.

Unum genus — nolle dici. Hactenus oratio εἰρομένη.

Si aut legatorum — lacessivi nunquam. Periodus δικωλος βραχύκωλος habens ἐπένθεσιν aliquot membrorum, & πρόθεσιν unius. Quid autem ad periodum propriè, quid ad ἐπένθεσιν & πρόθεσιν pertineat, ex hujusmodi forte diversò inter se characterum genere facilius poterit cognosci:

Si aut legatorum tuorum cuipiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum maledicitur: (πρότασις) quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut in plures, quàm mecum Corcyræ Clodius est locutus, cùm in eo genere maximè quereretur, te aliorum improbitate minus felicem fuisse: (ἐπένθεσις inter πρότασιν & ἀπόδοσιν) *hos ego sermones*, quod & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, (alia ἐπένθεσις in ipsa ἀποδόσει) *lacessivi nunquam*, (ἀπόδοσις) sed non valde repressi. (πρόθεσις)

Si quis est — existimat. Τετράκωλος cum adjunctione μονοκώλου

Sin autem quem — non curo. Trimembris, cujus

cujus inter πρότασιν & ἀπόδοσιν itidem quædam conſpicitur interjectio.

Liberalitas tua — *dulcis mihi.* Περιοδικὸν ἐπιθέσει valde flexuoſum, metaphora, λέξει ἀνακειμένῃ & noemate decorum.

Reliqua dictio cùm ſolutior appareat minusq; circumducta, non erit forte magnopere neceſſe, ut præter rem illa nimiùm enucleetur.

Q. Metellus Q. F. Celer procos. S. D. M. Tullio Ciceroni.

(lib. 5. ep. 1. vulgat. edit.)

SI vales, bene eſt. Exiſtimaram, pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, neque me abſentem ludibrio læſum iri, nec Metellum fratrem, ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Quem ſi parum pudor ipſius defendebat; vel familiæ debebat noſtræ dignitas, vel meum ſtudium erga vos remq; pub. ſatis ſublevare. Nunc video illum circumventum, me deſertum à quibus minime conveniebat. Itaq; in luctu & ſqualore ſum, qui provinciæ, qui exercitui præſum, qui bellum gero. Quæ quoniam nec ratione, nec majorum noſtrorum clementia adminiſtratis: non erit mirandum, ſi vos pœnitebit. Te tam mobili in me meosq; eſſe animo non ſperabam. Me interea nec domeſticus dolor, nec cujusquam injuria a rep. abducet. Vale.

Analyſis Rhetorica.

UT ut brevis admodum hæc ſit epiſtola, & ad Tullianam urbanitatem minimè acce-

dat, tamen cùm ad ſequentem Ciceronis rectè intelligendam valeat magnopere, non abs re erit, advertere paulò graviùs, quibus ex fontibus fluxerint, quæ hic oſtenduntur irati erga Tullium animi certiſſima indicia.

Conſtitutio ergo *cauſæ* eſt hujusmodi:

Tu Cicero non rectè me abſentem ludibrio affeciſti, nec jure fratrem meum ob dictum capite ac fortunis oppugnaſti.

Hic cùm facti qualitas conſideranda veniat, quæſtio hæc ad ſtatum *qualitatis juridicialem* pertinet.

Argumenta ſunt παθητικὰ, conceptam nimirum ex rei indignitate *iram* ſpirantia.

Primum ſuppeditant inciſa 28. & 29. cap 2. lib. 2. Rhet. ὀργίζονται τοῖς καταγελῶσι καὶ χλευάζουσι καὶ σκώπτουσι. Καὶ τοῖς τὰ τοιαῦτα βλάπτουσιν, ὅσα ὕβρεως σημεῖα. *Iraſcuntur iis, qui derident, qui ludibrio habent, qui dictis aculeatis mordent ac configunt. Item iis, qui talia damna inferunt ut in iis inſit ludibrii ac contumeliæ ſignificatio.*

Non debebam abſens ego ludibrio abs te lædi, nec frater meus ob leve aliquod dictum capite per te ac fortunis oppugnari.

Secundum petitur ex ejusdem capitis inciſo 35. Τοῖς μὴ ἀντιποιοῦσιν εὖ, μηδὲ τὴν ἴσην ἀνταποδιδοῦσι. *Iraſcimur iis, qui non viciſſim benefaciant, neq; parem gratiam referunt.*

Meum

Meum erga te Remq́ publicam studium officium, liberalitas ad parem utiq́ gratiam te commovere debebat &c.

Tertium è §. 33. Καὶ τοῖς φίλοις μᾶλλον, ἢ τοῖς μὴ φίλοις. *Et amicis magis, quàm non amicis. Putant enim convenientius esse, bene sibi ab iis fieri, quàm ab eis, qui amici non sunt.*

Nunc video fratrem meum circumventum, me desertum, à quibus minimè conveniebat.

Quartum è §. 23. & 24. Ὀργίλοι εἰσὶ καὶ εὐπαρόρμητοι· μάλιστα μὲν πρὸς τοὺς τοῦ παρόντος ὀλιγωροῦντας· οἷον· πολεμῶν τοῖς πρὸς τὸν πόλεμον. *Iracundi sunt & facile incitantur, maximè adversus illos, qui præsentem ipsorum statum negligunt: ut, — qui bellum gerit, in iis, quæ ad bellum*, qui provinciæ, qui exercitui præest, in iis, quæ ad provinciam, ad exercitum pertinent.

Non ignoras, quanta integritate & continentia provinciæ, (citeriori Galliæ) *quanta moderatione ac gravitate exercitui præsim, quàm circumspectè ac fortiter bellum* (cum Salassis, & inalpinis gentibus) *geram: Quos quidem non imos dignitatis meæ gradus non adeò despexisse te oportebat.*

Tandem cùm & *voluptas* quædam consequatur iram, imago scilicet vindictæ, quæ ultionem meditantis animo obversatur, 2. Rh.

c. 2. §. 5. tali phantasia suum quoq; animum hic Metellus pascit.

Sed venio in spem, fore, ut hanc aliquando injuriam ulciscar, teq; hujus facti tui, quanquam serò, pœniteat; quod tunc minus erit mirandum.

Deniq; cum inconstantiam ei ac levitatem exprobrasset, ἠθικῷ sermone *probitatem* aliquam spirante, epistolam claudit.

Elocutio perspicietur ex modo atq; varietate compositionis.

Existimaveram — *sublevare.* Comparent hic duæ periodi, prior τείκωλος, cujus reversio fit in verbo *oppugnatum iri*, posterior δίκωλος est. Verba *oppugnare, sublevare, lædere* sunt translata.

Nunc video — *conveniebat.* Periodus bimembris habens μεταφορὰν in verbo *circumventum.*

Itaq; in luctu — *gero.* Dictio jugis Metaphora est in voce squalor à corpore ad animum.

Quæ quoniam — *pœnitebit.* Periodus bimembris.

Te tam mobili — *abducet.* Duæ μονόκωλοι. Metaphora est in voce *mobilis.*

Αναφορὰ & ὁμοιοτέλευτον ad animi impetum significandum valent.

Cicero

Cicero S. D. Q. Metello Q. F. Celeri procos.

(lib. 5. epist. 2. vulgat edit.)

Si tu exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, numquam te à me ludibrio læsum iri. Quod cujusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum disputarem, permultos esse, qui rempub. à me conservatam dolerent, dixisse; à te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quæ statuisses tibi in senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. Quod cum dicerem, illud adjunxi: mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in reip. salute retinenda, ut ego urbem à domesticis insidiis, & ab intestino scelere, tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occulta conjuratione defenderes: atque hanc nostram tanti & tam præclari muneris societatem à tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu à me rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuæ tribueretur. Hoc in sermone, cum à me exponeretur, quæ mea exspectatio fuisset orationis tuæ, quantoque in errore versatus essem: visa est oratio non jucunda, & mediocris quidem est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, & quod, me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebar. Jam hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis atque amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuæ vocis habere voluisse. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cum par voluntas accipitur & redditur. Ego si hoc dicam me tua caussa prætermisisse provinciam, tibi ipse levior videar esse. Meæ enim rationes ita tulerunt: atque ejus mei consilii majorem in dies singulos fructum voluptatemque capio. Illud dico, me, ut primum in concione provinciam deposuerim,

statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. Nihil dico de sortitione vestra: tantum te suspicari volo, nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum. Recordare cetera; quam cito senatum illo die, facta sortitione, coegerim; quam multa de te verba fecerim; cum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuos contumeliosam fuisse. Jam illud S. C. quod eo die factum est, ea præscriptione est, ut, dum id exstabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Posteavero quam profectus es, velim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te litteras miserim. Quæ cum omnia collegeris; tu ipse velim judices, satis ne videatur his omnibus rebus tuus adventus, cum proxime Romam venisti, multuo respondisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ numquam immutata est. Quod scribis, non oportuisse Metellum, fratrem tuum, ob dictum à me oppugnari, primum hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem, deinde, si qua ego in re fratri tuo reipub. caussa restiterim; peto, ut mihi ignoscas. Tam enim sum amicus reipub. quam qui maxime. Si vero meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari; egi cum Claudia, uxore tua, & cum vestra sorore Mucia, cujus erga me studium, pro Cn. Pompeji necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa injuria deterrerent. Atque ille, quod te audisse credo, pridie Kalen. Jan. qua injuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me consulem affecit, cum remp. conservassem; atque abeuntem magistratu concionis habendæ potestate privavit. Cujus injuria mihi tamen honori summo fuit. Nam, cum

cum ille mihi nihil, nisi ut jurarem, permitteret; magna voce juravi verissimum pulcherrimumque jusiurandum; quod populus item magna voce, me vere jurasse, juravit. Hac accepta tam insigni injuria, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente desisteret; quibus ille respondit; sibi non esse integrum. Etenim paullo ante in concione dixerat, ei, qui in alios animadvertisset indicta caussa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. Hominem gravem, & civem egregium: qui, qua pœna senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magistratus ac senatum trucidare, bellum maximum conflare voluissent, eadem dignum judicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberasset. Itaque ego Metello fratri tuo præsenti restiti. Nam in senatu Calend. Jan. sic cum eo de republ. disputavi, ut sentiret, sibi cum viro forti & constanti esse pugnandum. Ad III. non. Jan. cum agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacunque ratione posset, non judicio, neque disceptatione, sed vi adque impressione evertere. Hujus ego temeritati si virtute atque animo non restitissem; quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse? Hæc si Metellum cogitare de me nescisti: debes existimare, te maximis de rebus à fratre esse celatum. Sin aliquid impertivit tibi sui consilii: lenis à te & facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. Et si intelligis, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio ejus animoque in me inimicissimo esse commotum. Cognosce nunc humanitatem meam: Si humanitas appellanda est in acerbissima injuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est à me umquam sententia dicta in fratrem tuum. Quotiescunque aliquid est actum, sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt. Addam illud etiam; quod jam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste

leste

leste tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adjuvi, ut S. C. meus inimicus, quia tuus frater erat, sublevaretur. Quare non ego oppugnavi fratrem tuum, sed fratri tuo repugnavi: nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officiis tuis, permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi, pæne minitanti nobis per litteras hoc rescribo atque respondeo. Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. Meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris admonet. A te peto, ut tu quoque æquum te judicem dolori meo præbeas; si acerbe, si crudeliter, si sine caussa sum à tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in ejusmodi caussa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse volui; me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboravi. Maneo in voluntate, &, quoad voles tu, permanebo: citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quidquam de nostra benevolentia detrahatur. Vale.

Analysis Rhetorica
De Inventione.

QUum Cicero hac epistolâ proximè antecedenti Metellinæ respondeat, eamq; argumentis ac rationibus diffusiùs paulò graviusq; refutet, ejusdem est, cujus præcedens, generis, *juridicialis* scilicet. Refutatio autem isthæc ita instituitur, ut singula ferme Metellinæ intentionis verba examinando, quatuor potissimùm sibi constituat capita, ad quorum primum quidem respondet per *inversionem*, ad secundum per *recriminationem*, ad tertium per *inficiationem*, ad quartum per *divisionem*

sionem, seu ut Græcum ἀντιπαράστασις Trapezuntius vertit, *obsistentiam*.

I. Et inversio quidem, seu τὸ ἀντιστρέφον, est, cum ostendimus signum aut causam contra nos allatam pro nobis facere. Fiet id ex inspecta hac Metellina προβολῆ luculentius: *Tu Cicero ludibrio me læsisti*: (signum) *quia dixisti in Senatu, propinquos meos à me impetrasse, ut ea, quæ statuissem mihi in Senatu de tua laude esse dicenda, reticuerim*. Quod Cicero hoc modo *invertit*: *Imò verò, dum id ipsum ego publicè dixi, tantum abest, ut te ludibrio habuerim, ut magno potius te affecerim honore.*

Hujus autem inversionis suæ duas adfert partes:

1. ἄρνησιν τοῦ σημείου, *negationem signi*. Dicis; *hunc meum sermonem fuisse signum ludibrii, quo te lædere statuissem*: Respondeo: *illum meum sermonem fuisse signum honoris, quo te volui afficere*.

2. αἴτιον τῆς ἀρνήσεως, *rationem negationis*. *Quia si voluissem te ludibrio lædere, præstitisset, omninò tacuisse, nec tam apertè fuisse confessum, abs te me potissimum laudari cupiisse.*

II. Secundo epistolæ capite examinat ὁρισμὸν, *definitionem* τοῦ *mutui* (2. Rhet. 23. §. 27.) quod nimirum *mutuum* in amicitia sit, *cum par voluntas accipitur & redditur*. Com-

Commemoratis itaq; pluribus suis officiis Metello præstitis, tandem concludit, illum ipsum illis omnibus mutuò, minimè respondisse. Aristot. lib. 3. Rh. c. 15. §. 10. vocat ἐκ τοῦ ἀντιδιαβάλλειν τὸν διαβάλλοντα: *Si quis criminantem recriminetur.*

Ego tuâ causâ prætermisi provinciam; cogitavi, quemadmodum eam tibi traderem; coegi senatum, multa de te verba feci &c. Recordare, quæ ego præterea de te in Senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas literas ad te miserim, & judica ipse, an tu illis omnibus mutuò responderis.

III. Tertium quod scripserat Metellus, *de reconciliata gratia*, illud tanquam ψευδὲς & falsum ἀρνήσει, i. e. inficiatione rejicit, cùm inter se repugnent, *reconciliatam esse gratiam, & nunquam immutatam esse.*

IV. Tandem ad illud, quod Metellus scripserat; *fratrem suum non debuisse à Cicerone capite ac fortunis oppugnari*, respondet, & quidem ἀντιπαραστάσει, quæ continet uberiorem defensionem:

1. *Non equidem, ut tu objicis, oppugnavi fratrem tuum, sed ei repugnavi: repugnavi autem, non ut evilesceret, & propalam contemtui esset, sed duntaxat Reipubl. causâ, cui tam amicus sum, quàm qui maximè.* (Indicatur locus ille ab Aristotele 3. Rh. 15. § 17. ἐπειδὴ τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται πλειόνων ἕνεκα πραχθῆναι: *quoniam*

niam fieri potest, ut eadem res pluribus de causis facta sit.)

4. *Repugnavi fratri tuo: quia crudelissimum impetum in me fecit, quia omnem tribunatus sui conatum in meam perniciem paravit, quia me magistratu abeuntem concionis habendæ potestate privavit; qua injuria nemo unquam in magistratu improbissimus civis affectus est, &c. Accedit, quod tertio quoq; verbo orationis suæ me appellavit, mihiq; minitatus est, nihilq; ei fuit deliberatius, quàm ut vi atq; impressione me everteret, &c. Magna contra fuit in istiusmodi injuria lenitas atq; humanitas mea; nulla à me unquam sententia est dicta in fratrem tuum &c, pro mea parte adjuvi, ut Senatus consulto sublevaretur.* Hoc modo Cicero dicta & facta cùm sua, tum adversarii diligenter excutit, & præterita cum præsentibus, facta cum faciendis confert, ut animadvertatur, num quidquam quod dissideat, deprehendi, atq; per hoc fides adversarii elevari possit. Aristoteles 2. Rhet. 23. §. 82. vocat τὸ τὰ ἀνομολογούμενα σκοπεῖν εἴ τι ἀνομολογούμενον ἐκ πάντων καὶ χρόνων, καὶ πράξεων καὶ λόγων. *Videre ea, quæ dissident: si quid in omnibus & temporibus & actionibus & sermonibus dissideat.*

Ad *mores* quod attinet, videmus Ciceronem passim prudentiam, integritatem & innocentiam suam modestè tamen & citra jactantiam indicare: *prudentiam* quidem, cum *consilii sui majorem in dies singulos se fructum*, dicit, *voluptatemq; capere.* Virum enim prudentem consilii sui nunquàm pœnitet, etiamsi bono

consilio minus quandoq; respondeat successus. *Prudentiæ* item & hoc signum est, cum *non casu, sed consilio fortem*, revera fortem esse existimat. *Probitatis* character est, cum *animum Metelli erga fratrem suum, & fraternam illam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem vehementer sibi probari*, ait, cum item *dolori Metelli non solùm ignoscit, sed summam etiam laudem tribuit &c.* Quin & *benevolentiæ* haud obscura deprehendet vestigia, quisquis aliquantò gravius τὸ πιθανὸν adverterit.

Ex *affectibus misericordiam* cumprimis & *lenitatem* movet: *misericordiam* quidem, cum magna isthac injuria immeritò se esse affectum queritur è cap. 8. lib. 2. Rhet. *lenitatem* autem cum optimam voluntatem suam, merita erga Metellum, ac dolorem suum commemorat. ex 2. Rhet. c. 3. incisis 11. 12. 24. Perpendantur & è cap. 2. de *ira* propositiones, patebit, nonnullas earum, sed in contrarias versas, à Tullio hic esse usurpatas.

Contemplanda jam & *elocutio*: circa quam triplex illa ab Aristotele lib. 3. Rhet. c. 2. commendata virtus in hac quoq; epistola observatur. Apparet nimirum hîc summa *phraseos perspicuitas*, quando pleraq; verbis usu receptis & propria fere significatione efferuntur, impropriis, inusitatis, ambiguis, breviter nimiùm adstrictis, prolixè nimium extensis, longis periodis,

riodis, & ejusmodi aliis perſpicuitati adverſantibus diligenter evitatis. Sed nec deeſt *ornatus decens*, translationes enim, *labefactare, impetus, pugnare, oppugnare, impresſio, conflare bellum, acerbisſima injuria, remisſio animi ac diſſolutio &c.* cùm ſint à rebus vel poteſtate, vel aſpectu, vel alio aliquo ſenſu pulchris ductæ (3. Rhet. 2. §. 42.) orationem reddunt urbanam, 3. Rh. 10. §. 4. Idem efficiunt λέξεις αὐλικέμβροι, *domeſticæ inſidiæ, armati hoſtes, honorificum, contumelioſum aliquid in aliquem eſſe, ſtabili, mobili animo eſſe, gratia reconciliata, nunquam immutata, &c.* Ἀναφορὰ ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον, πολύπτωτον &c. apta ſunt ad res exaggerandas ſchemata, Iſthæc autem omnia ita ſunt *occultato artificio* temperata. ut artificioſæ diligentiæ laborioſiq; conatus veſtigia haud nimis pelluceant, ſed naturaliter fluere ſingula videantur. Conſpectiores periodi ſunt iſtæ:

Nam in Senatu — *pugnandum.* Δίκωλος βραχύκωλος, quomodo acrior eſt oratio.

Hujus ego — *fortem fuiſſe.* Bimembris fine longiori.

Ego dolori — *admonet.* Δίκωλος βραχύκωλος cum παρενθέσει membri ſinuoſi.

Si acerbè — *utendum fuiſſe.* Τρίκωλος.

Ego te mihi — *laboravi.* Δίκωλος μακρόκωλος.

Ma-

Maneo in — detrahatur. Oratio εἰρο-μένη cum annexa periodo διχώλῳ. Reliqua dictio partim est εἰρομένη, partim membratim procurrit, aliqua ipſam etiam πλεοχωλίαν excedit, aliqua periodos habet, ſed ſolutiores.

E pedibus tetraſyllabis pæan in ſoluta oratione maximè commendatur ab Ariſtotele 3. Rh. 8. §. 10. *reticeres, tribueretur, voluiſſe &c.*

Antibacchius cunctationi exprimendæ deſervit, *cæpiſſe, non posſit, reſpondiſſe.*

Ditrochæus ut aliàs ita & hic Ciceroni frequens eſt; *confitebar, fortem fuiſſe, contumelioſum fuiſſe, liberaſſet, permanerem, detrahatur. &c.*

FINIS.